


kat.komp.
18484
I
Mag. St. Dr.
P


V
B J
C
18484



J. N. D.

Disputatio Juridica
De
JURE INDIGENATUS

Quam
Divinâ Favente Gratiâ
&
Consentiente Magnifico JCtorum Ordine
in Illustri Regiomontana
PRÆSIDE
Viro Prænobilissimo, Excellentissimo & Consultissimo
DN: CAROLO FRIDERICO LAU,
U. J. D. P. P. & Supremorum Judiciorum Advocato,
Dn. Patrono ac Præceptore æviternum colendo
Publicæ Disquisitioni subjicit
JOHANNES TREUG
Mariæb. Pruss. Aut. & Resp.
Ad diem XIX. Julii, ANNO MDCLXXXV. In Auditorio Majori horis solitis.

PRÆLO REUSNERIANO.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI

DOMINI
JOANNIS III.
D. G. REGIS. POLONIÆ.

Magni Ducis Lithvaniæ, Russiæ,
Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Woliniæ,
Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czernichoviæq; &c. &c. &c.
PATRIS PATRIÆ AUGUSTISSIMI, REGIS AC DOMINI
MEI CLEMENTISSIMI

SERENISSIMIS ET CELSISSIMIS
PRINCIPIBUS FILIIS

DN. JACOBO
&
DN. ALEXANDRO

Æmulatione Regiarum Avitarumq;
Virtutum, in Regni ac Reipublicæ Spem,
Scythici Furoris perniciem, Seculi Delicium
ex voto
Et Augusta Serenissimorum Parentum expectatione Dignissimè assurgentibus Porphyrogennetis
PRINCIPIBUS AC DOMINIS
MEIS CLEMENTISSIMIS.

MESSEIGNEURS.

BIenque ie ne sois que trop persuadé, que c'est une espece de crime, que de faire descendre Vos Illustres Noms sur un ouvrage aussi mediocre que celuy, que i'ose presenter à V. Alt: ie Vous proteste pourtant, Messeigneurs, qu'il ne m'a pas été possible d'empecher plus long temps mon zele de paroistre. Il est vray, que mon dessein est bien temeraire: mais il y a des temerités, qui meritent qu'on les louë; & ie me promets le même bonheur. C'est pour quoy ie ne pretends point justifier ma hardiesse par d'autres raisons qu'en me disant sujet de la Couronne & fils d'un tres-fidelle sujet & serviteur de Leurs Majestés. Car vous sçavez Messeigneurs que comme toutes les nations reverent les Testes couronneés: aussi les Polonois & les Provinces, qui sont à eux respectent les leurs avec la plus profonde, plus ardente, & plus fidelle passion du monde. Et quand ie voudrois dire qu'ils ont fait de tout temps leurs plus grandes délices de l'Auguste Sang Royal, ie suis asseuré que ie ne dirois rien de nouveau. Je veux donc borner tout ce que i'en sçaurois publier, au seul respect que ie dois à V. Alt: par les soins fidels de mon Pere qui s'est efforçé de m'inspirer dez mes plus tendres anneés une ardeur immortelle pour les services de l'Auguste Maison Royale. En voicy les premiers traits! qui tous foibles qu'ils soyēt me donnent pourtant assez de vanité pour esperer l'avantage de ne pas déplaire à V. Alt: mais ie crains qu'Elles ne reiettent cette legére marque de mon zele & me refusent l'honneur de leur Protection. Toute fois ie ne pretends pas l'obtenir par la Voye ordinaire, ie veux dire en m'efforçant de louër V. Alt: Car ie m'asseure Messeigneurs qu'il seroit inutile de Vous elever par les éloges de Vôtre Illustre Naissance, par la grandeur de Vos belles ames, & par les charmes de Vos éclattantes vertus, que toute la terre considere comme des merveilles du Siecle. Asseurement Messeigneurs le bonheur

bonheur d'étrefils du GRAND JEAN III. *renommé par la défaite des Ottomans, par la bataille de Chocim, la delivrance de Vienne, la Protection des Chrétiens, & la Conservation de la Pologne ne contribue pas peu à Vous rendre Illustres; & pourtánt ce n'est pas un avantage que Vous comptiez entre ceux qui Vous sont propres. Ce sont les Illustres qualites que Vous possedez, qui Vous donnent les plus glorieux avantages, & la fortune quand elle Vous seroit extremement favorable, n'en pourra jamais égaler par ses faveurs les merites. Pour moy ie me sens encor trop foible pour m'étendre sur un si vaste sujet; c'est pourquoy Vous ayant tres-humblement supplié de souffrir, que cette Dissertation emprunte quelque chose de la Gloire de Vos Noms : ie ne Vous promets, que de continuër ce, que i'ay commencé de faire, c'est à dire de joindre mes voeux, à ceux, que tout le Monde adjoute au cours des Victoires & des prosperités de leurs Sacrées Majestez, de Vos Alt. Sereniss: & de toute la maison Royale, & de méler ma voix à celle des plus honnestes gens du Royaume, en publiant avec le plus profond & sincere respect du Monde que ie suis plus que personne*

MESSEIGNEURS

DE VOS ALTESSES SERENISSIMES

le tres-humble & tres-obeissant
Serviteur

JEAN TREUG.

J. N. D. N. J. C.

Theſ. I.

SUb primum rerum initium termini Civitatis cum ſole menſurabantur, & omnes in univerſum homines, non tantum naturâ Liberi, ſed ejusdem quoq; Rei-publicæ Cives & indigenæ naſcebantur, communione Juris, omniumq; prærogativarum, ut & æquali rebus quibusvis utendi poteſtate ſingulis relicta. Respublicæ enim in familiis hærebant, inq; illis terminatæ, ſuorum quemq; Patrem familias Filiorum, Nepotumq; Magiſtratum & parvum quaſi Regem conſtituebant, nomen verò Peregrinorum & Indigenarum neſciebant, ac univerſum Terrarum Orbem communem omnium Patriam, commune Domicilium, communem urbem credentes, non Romanos, non Græcos, non Perſas, aud id generis alios populos, ſed Mundanos tantùm cum Socrate juxta *Ciceronem Lib. 5. Tuſc. quæſtion:* norant. Videnturq; eò reſpexisſe, ut Hebræorum Rabini, Sinenſes & Ægyptii, per notas illas de Regnis Sethidarum & Cainiticis, Puoncui & Thieonhangui Dynaſtiis, deq; Chaldæorum tempore antediluviano quod τὴν τῶν θεῶν βασιλείαν vocant, traditiones, quas videre licet apud *Bolduc. de Eccleſiâ ante Legem Lib. 1. cap. 15*: ſic ipſi quoq; JCti, qui in *l. 3. de J. & J. L. 1. §. pen. & L. ult. de periculo & comm: rei vend. L. 7. de Serv. export.* & alibi pasſim ſollicitè ſemper inculcant, quod quia natura omnes ubiq; homines cognatos fecit, hominis irterſit beneficio hominem affici & ea omnia cæteris præſtari, quæ cum nobis non noceant, aliis proſunt. Poſtquam verò ex univerſali Societate humana plures particulares, certoq; Orbis Angulo alligatæ Societates Civiles prodierunt: primæva etiam inter homines deſiit Juris communio, & ipſis quidem Principibus Rebusq; publicis Superiorem præter Deum & Enſem non agnoſcentibus, armis, fœderibus, Mediationibus, Guarantiis, Legationibus ac cœteris, quæ Juri Gentium vulgo adſcribuntur functionibus, univerſalem totius Orbis conſervationem juvandi & promovendi, adq; rerum in amplisſimo hoc mundi Theatro generalium Summam aliquid momenti conferendi, ſolis relicta eſt poteſtas, juxta

id quod *Tacitus* dicit: *Principibus summum rerum Judicium Deum dedisse, cæteris relictam esse obsequii gloriam:* Civibus verò, in sua quibusvis civitate ad statûs in quo vivunt commoda, ejusq;, cui & in quem omne jus, omnem resistendi facultatem, imò ipsam cum voluntate, de actionibus quibusdam, judicandi potestatem transtulerunt, nutum respiciendum, memoriq; nunquam non mente servandum, & obsequiosa facilitate observandum est, aureum, quo subditi ad Regem Chilpericum loquentes, apud *Gregor. Turon: L. 5. c. 17.* introducuntur, Elogium: *Si quis de nobis, o Rex Justitiæ tramites transcendere voluerit, à te corripi potest, si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim Tibi, sed si volueris audis, si autem nolueris, quis te dammabit, nisi is qui pronunciavit, esse Justitiam.*

Thes. II. Nec Privatorum hic damnorum adeò accurata ratio habenda, quin, ubi bonum singulorum à bono publico discrepat, quivis Civium, id tantum sibi bonum credere debeat, quod tale est publica totius Civitatis ratione. Id siquidem quivis Societati Civili se immiscens, in se recepisse videtur, cum ob evitanda majora, quibus extra Civitatem subjectus erat, mala, Libertati naturali renunciavit, Imperioq; Civitatis se subjecit, cujus vi plurima jam facere cogitur, à quibus aliàs abhorreret, & plurima, quæ aliàs vehementer appeteret, omittere. Sed hic Dominii Eminentis effectus, sicut extraordinarius est, & ad extremæ saltem necessitatis casum restringitur: ita durities ejus, si quæ est, singularium prærogativarum, quibus, præ peregrinis, Indigenæ gaudent, mirum quantum mollitur & compensatur temperamentis. Cum enim homines omnes sibi malint melius esse, quàm aliis, & naturali, licet perverso sui genii more, actionum momenta ex commodis ponderent, fortissimis utilitatis propriæ vinculis in societate retinendi erant, ut oneribus pro Re-publica suscipiendis alacriores se subjicerent. Esse etenim hoc optimum ad retinendos in obsequio, vel demulcendos etiam turbatos multitudinis animos, felix *Agrippæ Menenij* ad congregatam in Sacro Monte plebem orationis, & de conspiratione membrorum adversus ventriculum, fabulæ successus docet. *Vid. Liv. L. 2. c. 32.* Hæ videlicet sunt illustres prærogativæ, quæ communiter sub juris Indigenatus nomine exhibentur, & quarum aliquæ,

quæ, cum in quibusdam Civitatibus aliis præstantiores sint, quid mirum, magno plerumq; conamine homines moliri, ut ipsi non tantum hujus potius, quàm illius Rei publicæ Cives, imò, si possibile sit, per naturalisationem, ibi natis æquales fiant, sed, ut liberos quoq; suos ejus Indigenas efficiant? Sic legimus in Brabantiam & Arragoniam è vicinis locis parituras mulieres se transferre solitas, ut Brabantinas & Arragonicas immunitates, filiis eo solo genitis ceu Indigenis acquirerent. In Romanorum quoq; Civitatis Jus anxiè semper peregrini, ut adoptarentur, studuerunt, & Exteri apud Hebræos, si Proselyti Justitiæ, seu Abrahamidæ fieri non possent, Proselytorum Domicilii saltem, seu Noachidarum Conditionem summa opera ambierunt; Imò, ut alia exempla omittamus, Eduardus I. Uxorem prægnantem in fines Walliæ misit, ut ibi enixa in lucem editæ soboli Wallicum Indigenatus Jus pariendo daret. *Vid. Stradam de Bell. Belg. Dec. 1. Lib. 2. Johann: Marian: in Hist. Hisp. Lib. 3. Seld. de Synedr. Ebraeorum Lib. 1. cap. 3. Arnis. L: 1. de Republ. cap. 5. §. 10.*

Thes. III. Dicitur verò Indigenatus & indigena, ex antiquis vocibus endo, quod hodie in, & geno, quod gigno est, quasi in loco genitus, vel, quod idem est, inde genitus, ubi habitat; Etsi enim diversam hinc nonnulli Etymologiam operose deducant, nobis tamen sufficit, utramq; derivationem eâdem, in explicandâ rei essentia, pollere efficaciâ, cum, teste *Barth. Advers. L. 2. c. 12. & Laur. Vall. Lex: voce Indiges*, nec illi errent, qui pro Deis Indigetibus Indigenas legunt, quasi à Romanis in numerum Deorum relatos, adeoq; non extraneos, sed apud Romanos natos Deos. Vulgò Indigenæ dicuntur Aborigines, αὐτόχθονες, Vernæ, Symphreatidæ, Epichorii, Terrigenæ &c. *Ortel. Thes. Geogr. voce Aborigines. Steph. Lex. verbo αὐτόχθων Cic. L. 2. de LL.* Imò solâ *Natorum* voce Indigenas vulgo, non loci aut personæ, sed dignitatis ratione compellari, usitatæ Legatorum, Cancellariorum &c. Natorum comprobant aqpellationes, de quibus vid: *Cardin Tusch. Practic. Conclus: voce Legatus natus. Tholosan Partit. J. Can. L. 5. T. 3. c. 1.* Sed de his & similibus non est ut solliciti simus; ad ea tantum breviter respiciamus, quibus aliàs Indigenæ in Legibus Originarii, Municipes, Naturales, Gentiles, Ingenui &c. vocantur *L. 4. C. d. Incol.*

in 10. *L. 6. pr. §. 1. & 3. ad municip. L. 1. pr. eod. Balduin, in LL. XII. Tab. c. 30.* Originarii videlicet atq; naturales, dicuntur partim propriæ, partim paternæ Originis Jure, habentq; adeò duas patrias, naturæ alteram, alteram Juris *L. 4. C. d. Municip. L. 17. §. 11. ad municip.* Imò, si ullæ, hæ certè Originariorum & Naturalium voces, Indigenarum appellationi quam proximè accedunt, eandemq; adeò efficaciter exprimunt, ut & illi propterea qui Origine non fuerunt indigenæ, si ex speciali postea beneficio in numerum Indigenarum admittantur, naturalisati appellentur; Reliqua verò, quæ Indigenis aliàs tribuuntur nomina non nisi per remotam consequentiam huc spectant. Nam Municipes illi propriè erant, quibus in alia Civitate constitutis, populus Romanus Jus Civitatis Romanæ concesserat. *Vid. Goedd. ad leg. 18. de V. S. n. 22.* Postea verò omnes cujusvis Civitatis cives, quod munerum essent participes, hoc nomine fuerunt insigniti *L. 18. d. V. S.* ita tamen ut prisci juris aliqua adhuc imago manserit. Sic etiam hodie in Imperio Civitates municipales seu Provinciales, die Fürsten-oder Landstädte distinguuntur â Civitatibus Imperii & simpliciter talibus & Liberis, von den Reichsstädten / die einen gantzen Adler oder etwas davon führen / und von den freyen Reichsstädten die nichts vom Adler in insigniis haben. *Reink. d. regim. secul. l. 1. cl. 4. c. 20. n. 10. & 36.* Eadem plane ratione Gentiles verâ nominis acceptione ii dicuntur, qui ab ortu nobiles exstiterunt, eodemq; illustri sanguine prognati, Patritii inter se, & agnationis jure ejusdem gentis sive familiæ stemmata sunt; quibus, ut vulgò opponuntur terræ filii, ita solis competit eorundem armorum Jus einerley Helm / Schild und angebohren Wapen. Veri quoq; Ingenui, ii Soli apud Romanos erant, qui vel ex legitimo matrimonio ita fuerant suscepti, ut Patrem ciere possent, vel Matre liberâ nati vel deniq;, quorum, ab Avo majores Servitutem nunquam servierant. *L. 5. §. 2. ff. de Stat: hom:* Quæ omnia ut notasse sufficiet, quo constare possit, translativè tantùm in Jure Civili, Municipum, Gentilium, ac Ingenuorum voces Indigenis tribui: ita succinctam dissertationem scripturis satis erit, indigenarum & indigenatus significationes famosiores saltem notare.

Thes. IV. Quatuor autem modis Indigenæ potissimum in Jure dicuntur *(1.)* Latissime pro omni eo, qui in loco aliquo natus

est

est à Parentibus peregrinis, fortè transeuntibus, aut alia de causa juribus Rei publicæ carentibus; sic enim & servum licet in Civitate natum, non tamen nisi in latissima hac significatione Indigenam dicere possum *L. 59. §. ult. d. Cond. & demonstr. L. 94. §. 3. de solut. L. 3. fin. de cap. min. L. 32. §. 6. de donat. inter virum & uxor:* Quid, quod & illi, qui ex parentibus diversarum Originum nati sunt propriè solius Civitatis Paternæ Municipes existant, maternæ urbis verò, licet in ea editi fuerint, latissime tantum, quia Mater, cum in omnibus Mariti Conditionem sequatur, ex sua persona Jura Rei-publicæ & Indigenatus sortiri, aut tribuere nequit, Indigenæ vocentur? *L. 3. C. de Municip. L. 6. §. 1. & L. 9. C. de Jnco. junctâ L. un. C. de Mulier quo in loco. & L. ult. §. 3. ad municip.* Imò mercatores ipsi, etsi loci in quo negotiationem exercent, propriè dicti Indigenæ non sint, & propterea neq; muneribus adstringantur, latissimæ tamen acceptionis Indigenæ, quatenus forum ibi ex Mercatura habent, rectè appellantur *L 19. §. 1. & L. 45. d. Judic.* (II.) Latè ad denotandum eum, qui cum hic habitet, alibi tamen natus est. Nam quod filius, licet paternam Originem sequatur, alio tamen in loco, quàm ubi Pater eum genuit, & Domicilium habuit, Incolatum constituere possit *L. 3. & 4. C de Jncol.* probant. Talis itaq;, quia eo ipso dum sedem alio transtulit, & alterius loci Municeps factus est, Indigenatui per Nativitatem parto renunciasse censetur, Civitatis etiam, unde Originem ducit, propriè dictus Indigena amplius non erit, ne contra æquitatis naturalis rationem prærogativæ & emolumenta Indigenatus eum sequantur, qui alibi Civitatis Jus ambiendo, oneribus quæ Indigenas sequuntur, in loco Originis se subtraxit. *L. ult. §. 3. C. de furt.* & ne duæ causæ lucrativæ, aliter ac Justitia patitur, in eâdem personâ circa eandem rem concurrant, arg. *L. 34. §. 1 de Legat. 1.* Hoc tamen non obstat quo minus latè adhuc dicatur Indigena loci, qui in eo natus postea eum deseruit. Naturalis enim origo Civili Incolatus ratione in totum perimi nequit, nisi quis dicere malit, alibi assumta Civis qualitate, desinere nos simul alicubi natos esse, aut Civem eundem planè dici, qui Indigena est; quorum prius, cum omnem omninò hominem alicujus loci originarium esse necessum sit, recta satis refellit ratio; posterius autem absurdum esse ex eo patet, quod Principes ipsi,

nunc

nunc suæ ditionis Indigenæ, nec tamen Cives, nunc vice versâ Cives non indigenæ sunt, illud moderni Serenissimi Regis Poloniæ ratione Regni sui &c. hoc Principum Burgundiæ & Regum Bohemiæ respectu Imperii &c. inter alia evincentibus exemplis. Spectatq; huc quod *Bartolus in L. 9. §. fin. ad municip. Imola. ad cap. fin. X. de foro compet.* ajunt: Pro jure conveniendi & onera subeundi atq; bona distringendi perpetuum semper esse & manere in loco Originis Domicilium.

Thes. V. (III.) Dicimus Indigenam strictè & propriè eum qui nativitate verâ vel fictâ, aut aliis modis capax factus est Rei-publicæ & Juris Civilis; Locus enim hic Jus tribuit, & quod communiter dicitur, succedentem in locum, succedere in Jus, id nobis licet hoc modo invertere, ut dicamus, connasci nobis jura & privilegia loci, in quo nati sumus, ex eo, quod quæ ex loco aliquo educuntur, loci etiam istius, ceu accessoria, naturam sequantur. *L. 19. §. 13. de aur. & argent. leg. L. 9. §. ult. de solut juncto cap. 42. de R, I. 6.* Et hoc in sensu, etsi ratione effectuum æqualiter competentium, Cives etiam possint Indigenæ dici, quemadmodum in *L. 17. de Stat. hom. junct. N. 78. c. 5.* Omnes viventes in Orbe Romano Cives, i. e. Indigenæ Romani dicuntur, ac si Romæ & in Italia nati essent: propriè tamen loquendo Civis & Indigena differt, ut genus & species, & omnis quidem Indigena Civis est, ipsi verò Cives non omnes Indigenæ, sed alii præterea Inquilini alii Incolæ sunt. Strictissimè etiam Indigena vocatur is solus, qui prærogativas Ordinis Equestris habet, quiqve aliàs, in distinctionem à minoribus subditis simpliciter subjectis & Obedientibus, Civis Nobilis dicitur. Sic apud Romanos illi Civium quibus erat plenum Civitatis Jus, speciali nomine Quirites vocabantur, ut videndum apud *Lamprid. in Alex. c. 54.* ex Oratione Alexandri ad milites tumultuantes *arg. L. 1. § 1. de serv. fugit. L. ult. ad L. Falcid. L. 39. in fin. de militari Testamento. L. 3. de his qui sunt sui &c. L. 1. §. 2. de R. Vind. L. un. C. de nud. jur. quir. toll* Hispani quoqve Indigenas suos Nobiles peculiari nomine *Hydalgos* nuncupant, quasi *Hyo dàl Godo* quod Parentes & majores ex nobilibus Gothis, qui antiquitus Imperium in Hispania tenuerunt, deducere valeant. *Besold. de Ordin. Equestri n. 13.* Et in Imperio ejusmodi Indigenæ, qui jus Voti & Sessionis habent, status in specie vocantur, cum nobiles immediati

diati die freye Reichs-Ritterschafft membra tantum imperii sint, reliqui v. Cives, in Imperio votum tantum habeant ratione onerum, non quoad modum Regiminis. *Instr. Pac. Artic. 8. Capit. Leopold. §. 3.* Inprimis verò hæc strictissima acceptio in Jure Polonorum se exserit. Eo siquidem expresse Indigenæ vocantur soli nobiles, qui jura patriæ nobilitatis participant, unde etiam qui Nobiles in Polonia fiunt Jus Indigenatus consequi dicuntur. Vid. *Constit. de Anno 1652. fol. 28. Constit. de Anno 1672. Tit. Indigenat: Pacta conv. moderni Serenissimi Regis §.* Cudzoziemcow. Acceditqve huc nomen quo Nobilitas in Polonia Szlachta dicitur, quæ vox derivante *Cromer. L. 1. pag. 100.* ex germ. Geschlechter descendit, & nihil aliud notat quam earum familiarum ordinem, quibus præ aliis Equestris Dignitas competit; eodem modo quo olim apud Romanos Patricii erant, qui longam seriem majorum Indigenarum & nobilium ostendere possent: *Dion. Halicarn. L. 3. Antiquitat. Rom.* hodiè verò familiæ quædam optimatum in Civitatibus Imperialibus in specie Patriciæ i. e. Indigenæ strictissimè vocantur. *Illustriss. & Magnif. Dominus Rhetius S. ac P. Elector. Brand. Consiliarius. Status Intimus L. 1. Jurispub. T. 19. §. 24.* Nobis Indigena in præsentiarum ille est, cui hoc nomen strictè competit. Dicitur aliàs, ein Eingebohrner / Erbgesessener / Einheimischer / Eingezogener Gall. *Originaire, natif*, Ital. *nativo, Originario.* Hisp. *naturale, ciudadano.* Pol. Ziemianin / Domowy / Osiadly / cum propriè Indigena in Polonia non sit nisi possessionatus, *Cromer. L. 13. fol. 615.* Ibidem vocatur Indigena Syn Koronny / ex cujus nominis ratione in Polonia omnes Indigenæ Bracia vocantur. Speciali tandem termino Indigena *Piastus* Polonis appellatur, non tamen promiscuè, sed tantum in Regibus Indigenis. *Vid. Piasec in Chron. fol. 59 & Cens. Candidat. in Piaost.* Et hæc omnia, cum ex natura Conjugatorum, eadem plane ratione de vocibus Indigenatus intelligenda sint, sufficienter docebunt, Jus Indigenatus propriè à nobis usurpari.

Thes. VI. Sic Ergò id ipsum definimus, quod sit *Prærogativa nativitatis Jure Civ. in compensationem onerum pro Civitate subeundorum, æqualiter concessa ad perfectè fruendum omnibus, ratione Societatis Civilis in Re-pub: competentibus beneficiis.* Prærogativam vocamus, cum hic non simpliciter respiciendum sit ad nudam

facul-

facultatem, quæ duntaxat comparata est ad eminentiam istam nativitate acquirendam, sed ad ipsam dignitatem, qua, beneficio Nativitatis, præ peregrinis gaudemus. Aliàs enim nihil obstaret, quo minus ipsis quoq;, qui in utero adhuc sunt Indigenarum & Incolarum liberis, *ex L. 7. & L. 26. de Stat. hom.* imò & peregrinis, qui naturalisationem sperant, servis deniq; vernis, quibus manumissio obtingere potest, Jus Indigenatus tribueremus; quod tamen nos facere finis hujus juris prohibet; illud siquidem eò tendit, ut ex ratione naturalis æquitatis, *per L. 65. in f. pro soc. L. 13. §. 1. de acquirend. Poss.* ii qui suo sudore & sanguine sæpè laborant, quo Civitas opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit, dignam etiam suâ fortunâ prærogativam habeant *L. 3. in fin. C. de quadr. præscript. c. 16. X. de præscript. Nov. 82. c. 9.* Unde, quia nondum nati, servi, & peregrini in nulla adhuc statione pro bono publico excubias agunt, ipsis prærogativa juris Indigenatus tribui non poterit. Debet verò Jus Indigenatus originem suam Juri civili, & peculiari singulorum Legislatorum placito, sine universali ex Jure Naturæ obligatione, aut mutua eaqve simultanea omnium Gentium conventione, introductum, non idem ubiqve, sed pro diversa constituentium *arg. l. 1. de Constit. Princ. l. 9. de J. & J. §. 1. 2. 6. & 11. J. de I. N. G. & C.* voluntate, varium, imò contrarium haud rarò reperitur. Nam, cum earum LL. quæ utilitatis omnium hominum perpetuæ causa in æternum latæ sunt, nulla unquam abrogari debeat, ex contra, quæ ab hominibus feruntur, ex hominum etiam conditione mortales & temporibus ipsis mutabiles sint, tam diu duraturæ, quamdiu Reip. expediunt, teste *L. Valerio. in Oratione contra L. Oppiam apud Livium L. 34. c. 6:* hæc certè sola diversitatis & mutabilitatis in Jure Indigenatus conditio, Jus istud, Civile duntaxat institutum esse plus satis comprobat. Ut enim aliæ LL. positivæ, sic & Jus Indigenatus Civili status ratione nititur, adeoq;, rebus tantum sic stantibus obtinet, illis mutatis, ipsum quoq; ut mutabile & Civ: Jus mutatur. Si quis interim, ex Juris Indigenatus observantia apud omnes populos, Juri Gentium hoc Jus adscribere velit, nostra quidem id pace, sed improprie faciet. *Bolognet: de Leg: cap. 26. n. 19.* Hic enim Jus Indigenatus non ad nudam Nativitatem, quæ in certo loco obtigit, sed ad peculiares effectus, quos Jus Civ. loco & Nativitati adjecit, refertur.

Th. VII.

Thes. VII. Duplex vero hoc Jus est Naturale sive simplex, solam loco terminatam Nativitatis originem denotans, & Civile seu qualificatum, quod Specialis potioritas est à Jure Civili in Civitate natis & viventibus quoad peculiares Juris effectus concessa. Hoc loco & Legi Civili illigatum plurimis modis perimitur; Illud v. Naturale & perpetuum est *L. 4. C. de Municip.* eo usq; cuivis adhærens, ut nullum Civile factum in contrarium admittat, sed solâ morte, quæ æq; naturalis est, extinguatur. *L. 8. de cap. min. L. 35. de R. J. vid: Boërij Decis. 13.* Dividitur porro Jus Indigenatus à Causa Efficiente proxima, in verum & adscititium; à Forma, in plenum & minus plenum. A Fine deniq; in Favorabile & Odiosum. Verum vocamus quod ipsa cuivis natura ex Nativitate propria seu naturali constituit, *L. 14. §. 3. de Muner: & honor: L. 6. §. 1. L. 15. §. ult: ad Municip. & L. 228. de V. S.* Adscititium est, quod Civili Nativitate acquirimus *L. 190. de V. S. L. 7. C. de Incol. L. 5. §. 13. de Jur. Immun:* Et secundum has diversas Species nullum est dubium, quin aliquis in duobus simul locis Jure Indigenatus frui possit, hîc videlicet, ut verus Indigena, alibi ex Jure assumto; ita conciliandis *L. 17. §. 4. & L. 22 §. 2. ad Municip.* Plenum Jus Indigenatus est, quod, in summo gradu competens, Jus suffragii & aditum ad honores tribuit, quo gaudentes Germ. alias die Groß-Bürger dicuntur. Minus plenum vocamus, das kleine Bürger-Recht / quo ad munera subeunda adstricti, Jus tantum commerciorum, Connubiorum & Succesionum habent. *Amaya in L. 10. C. de Municip.* Ita in Civitatibus Anseaticis, ex conditione Juris Indigenatus, plenius vel remisius competente, recepti sunt, certi Civium ordines, der Oberste/ der Mittelste und Unterste Stand/ quorum Jura promiscuè non communicantur; *Dominus Mevius ad Jus Lubecense L. 1. T. 1. rubr. n. ult.* In *Reform. Polit. August. de Anno 1530.* Cives dividuntur in Geschlechter die im Rath oder Stande sind. 2. Kauff und Gewercks-Leute. 3. Gemeine Bürger und Handwercker. Ita & in Prussia tres sunt Civium indigenarum ordines, der Herrenstand die Ritterschafft/ der Stand vom Städten. *Act. & Decret. Commiss. Reg. de Anno 1609. pag. 105. & 107.* Polonia quoq; tres Status numerat, Senatorum, Equitum & Officialium; Nam, quod quidam Regem etiam Statum Reipublicæ Polonicæ constitu-

ant, ut videndum apud *Hartknoch. de Republ. Polon. lib. 2. c. 1. §. 1. Chvvalkovvskj in Jure publ. Polon. lib. 1. c. 2.* id improprie fieri autumo, cum Rex, ceu caput & Dominus Reipubl: nudis ejus Civibus annumerari haud posſit. Sic enim nec in Imperio Romano-Germ. Imperator annumeratur Ordinibus, ſed hi alij ſunt Electores, alij Principes alij Status Churfürſten/ Fürſten und Stände. *vid. §. 197. Receſs. Imper. de Anno 1654. §. 3. & 39. Cap. Leopold.* Imo, per ipſas Conſtitutiones Regni & Capitulationes Regum Poloniæ, quibus conceditur omnibus Statibus Jus eligendi Regem, Rex opponitur ordinibus. *Januſzovvius L. 1. Conſtit. Regni tit. 2. fol. 10.*

Theſ. VIII. Quod vero ex officialibus etiam peculiarem ordinem ſtatuamus, Conſtitutionibus & ratione nititur; Æque enim de Jure Romanorum tres erant ordines, Senatorum, Equitum & Dignitariorum, ad quos referebantur, qui Perfectisſimatus atq; Egregiatus Splendebant honoribus. *L. 1. C. de his qui ven. ætat. impetr. L. 1. de honorar. Cod. L. 5. de Decur. L. 1. de murilegul: C. Th.* nam quod Dignitates Illuſtratus, Spectabilitatis & Clarisſimatus attinebat, eæ ad ordinem Senatorium referebantur. *L. 22. pr. C. de Epiſc. aud. Nov. 7. in f. Nov. 13.* per tot: Conſtitutiones Regni etiam diſtincto inter ordines loco referunt Dignitarios, dum fere ſemper, ubi Statuum mentio fit, his verbis eos recenſent: Prelacj/ Pany/ Szlachta / Przelozone; ſ. Prælati, qui Senatores Spirituales, Barones qui Seculares, Equites & Proceres vid. *Januſz. in Conſtit. l. 1. part. 1. tit. 2. Stat. Herburt. tit electio.* Nec obſtat aliquas in Polonia Civitates ad Comitia & vota admitti; Nam, hanc prærogativam non habent ut Civitates, ſed vi conceſſi per Specialia Privilegia Juris Indigenatus, ut Equites. Sic tali Jure utuntur Cracovia, Leopolis, Vilna Vid: *Privileg. Indigen: Leopolienſi Urbi à Joanne Caſimiro datum.* Imo, ut omnes, qui Indigenæ Prusſiæ ſunt, eo ipſo ſunt indigenæ Poloniæ, ibiq; bona terreſtria posſidere & ad honores promoveri posſunt: *Pact. incorpor. fol. 15. & 16.* Ita Civitates Prusſiæ Majores, in Electione Regia pari cum aliis ordinibus utuntur Jure; *Privileg. Sigism. I. de Anno 1530 & Piaſecius in Chron. Anno 1632. pag. m. 453.* ad Comitia verò Generalia Delegatos mittere ipſæ detrectant quod nolunt admittere de Republ. ſua alibi quam in Prusſia conſultari. Ultimam Diviſionem quod

attinet,

attinet, Jus Indigenatus Favorabile in participatione honorum, Immunitatum & Privilegiorum Reipubl. consistit; Odiosum vero æqualem onera & munera pro Civitate sustinendi necessitatem respicit. Hoc enim est, quod L. 190. *de V. S.* dicit : Provinciales eos esse, qui in Republ. domicilium habent; non, qui inde oriundi sunt; nempe, quoad munera Patrimonialia & ratione fori, seu, quod idem est, intuitu Juris Indigenatus Odiosi; Quantum vero ad Honores & munera personalia, v. gr. Decanatum, Syndicatum Tutelam &c. seu Favorabile Jus Indigenatus, non Domicilium seu locum ubi quis est, sed unde est, i. e. Originem Spectamus L. 6. §. 1. *ad municip.* L. 14. §. 3. *de Muner:*

Thes. IX. Acquirimus Jus Indigenatus sola Nativitate. Solum enim Natale, sicut amorem ac Reverentiam exigit, ita abundantiæ suæ ubera beneficæ matris ad instar, nobis non tantum applicat, ut ejus quasi è materia educti, sangvine lactati & Carne confirmati videamur, sed etiam sudorem atq; curas quas adulti deinde, conservationi ipsius cum vita impendimus, compensare, & grata retributione, vel in posteris, retaliare gaudet. Est hæc Nativitas alia Vera, cui supra Jus Indigenatus verum ascripsimus, alia Ficta, seu Civilis, quæ Adscititium producit. Vera reperitur in liberis eorum, qui Reipubl. Cives sunt, L. 4. *ad municip.* Nam alias sola Nativitate, si quis à fortuitò transeuntibus aut ad tempus tantum in Civitate habitantibus nascatur non potest Jus indigenatus, præterquam in latissima acceptione acquiri. Sic, qui ex Patre Gedanensi Cive, Regiomonti natus est, dum mater fortè hospitii hic Jure degeret, Patria quidem Regiomontanus dici poterit, quoad commoda vel Incommoda verò Originarius Civis non erit. Ad hoc enim requiritur, ut Pater tempore nati filii Civis indigena hic fuerit; cùm, cujus originis Pater est ejusdem & liberi censeantur, licet mater aliunde oriunda, & filius in ipsius, äut alia Civitate natus sit. L. 3. *C. de Municip. Christin. ad hunc tit Decis. 33. Zævallos Communium contra commun: q. 458.* Baptismum quidem, originem inducere concedimus *Barbosæ ad* L. 19. §. 2. *de Judic & Amajæ ad Tit: d: Incol: n. 47. & 53.* Sed inde tantum sequitur, Nativitatem quæ in transitu fit, latissimè acceptum Indigenatus Jus tribuere; quod itidem lubentes largimur. Patet hinc, minime opus fuisse

Carolum V. Germanum dici, ab Electore Moguntino, contra Trevirensem, ex loco Nativitatis, Gandavo nempe, quod olim Germaniæ annumeratum fuit; Cum non tantum Patrem, Philippum Maximiliani. I. filium, habuerit, sed omnes quoq; Majores Germanos. *vid. Sleidan: de Statu Relig.* L. *1. pag. m. 20. & seqq.*

Thes. X. Nec obstat, quod hâc ratione Carolus M. Germanus ex loco Conceptionis aut Nativitatis in solo Germanico factæ improprie dicatur. Ipsi enim Germani dissentiunt & alii *Ingelhemii* alii in *Bajoariâ* alii in *Thuringiâ* eum natum esse asserunt; quæ omnia quia debilitatem hujus fundamenti satis arguunt, cur quæso eo confugeremus, cum validiora suppetant argumenta, quorum vim ipsos oportet agnoscere adversarios, non assertionibus tantum suffultos, ut sibi blanditur *Pacif. à Lapide ad Dominum de Monzamb. Discursu 5. §. 1.* sed rationibus Jure communi, & vix non dixerim observantia; Paternæ videlicet Conditionis, sine ullo ad locum Nativitatis respectu, unica hic habenda ratio, & absurdum foret, Legati alicujus Gallici in aula Cæsarea, Patre ibi muneris ratione subsistente in lucem editum filium, Germanum, aut Mercatoris Gallici commerciorum & Negotiationis causa inter Turcas cum uxore hærentis Constantinopoli natos liberos, Thraces propterea vel Turcas appellare. Sic enim Judæos quoque Hamburgi vel Cracoviæ natos, Germanos tamen exinde, Polonosve minimè dicimus, sed intuitu stirpis Paternæ, Judæos. Quod itaque stirpem paternam Caroli M. attinet, Pater ejus, Pipinus brevis, & omnes retrò majores ex Francorum gente, adeoq; Germani fuerunt. Franci enim ex pluribus Germaniæ populis collecti, & ex Germanico. Francke i e. Freye dicti, Galliam subegerunt, & ex suo nomine Franciam occidentalem dixerunt; unde hodienum Gallorum Rex à Francia inscribitur. Natione Ergò & stirpe paterna Carolus M. Francus seu Germanus fuit, licet quoad dignitatem hæreditariam per Patrem connatam, Gallorum Princeps, quem hodie Delphinum *le Dauphin* & simpliciter *Monseigneur* vocant exstiterit; eodem planè modo, ac Heinrici VI. quem alii IV. numerant, ex Constantiâ Sicula, filius Fridericus II. respectu Siciliæ, quod Regnum Mater marito in dotem attulerat, Princeps Siciliæ, at, patris intuitu natione Germanus fuit ideoque licet in Siciliâ natum, Imperatorem tamen in Ottonis IV. locum, Germani eum constituerunt. Sic Johannis quoque Finlandiæ Ducis filium Sigismundum III. in Sue-

cia

cia, & ex Rege Suecorum natum, Sueciæ Principem nemo negabit; eundem tamen post Stephani Regis obitum Poloni Jagellonicæ stirpis sobolem agnoverunt, &, ex summâ, quæ in istâ Gente semper viguit, erga Regum suorum sanguinem, observantiâ, Regem dixerunt *Piasec. in Chron. Anno 1587. p. 61. & in Anno 1571. p. 40.* Nostra itaque nihil refert, sive Carolus quoad patriam Francus - seu Franco - Gallus sive Franco - Germanus statuatur; ad Patriam enim non respicimus, satis ducentes Germanum à Parentibus esse, vel ipsorum Gallorum confessione; quorum Reges, Franciscum I. & Henricum II, notum est, in literis ad Ordines Germaniæ ex stirpe Germanicâ à Carolo M. genus professos esse. Etsi enim, juxta id, quod Poëta canit: *Fistula dulce canit, &c. personato Severino de statu Imperii C. 1. §. 4. in f.* faciles concedamus, talia jactata fuisse alio fine, nobis tamen, quibus abditos Principum sensus introspicere haud datum est, nudum verborum judicium sufficere potest.

Thes. XI. Sed, forte diu nimis, huic controversiæ immorati, ad Jus Civile retrospicimus; Hoc igitur, etsi ex origine paternâ Jus indigenatus æstimet, & paternum nomen omnes ascendentes in Jure Civili notet. *L. 220. D. V. S.* in infinitum tamen extensionem haud admittit; nam, in Jure publicô quidem, Nationem tribuit avita origo, imò Gentem quoque & Familiam constituit, ipsum verò strictè dictum Jus Indigenatûs non potest largiri; Cum, ut ipsa à Majoribus quæsita Familiæ dignitas in Parentis persona mutationi multifariam subjacet, si is, v. gr. propter Reatum, nobilitate cum posteris excidat: ita noster indigenatus solam proximam & à patre venientem originem respiciat. Excipiunt Leges Civ. unicum casum, quo nepos in avi potestate nascitur. Tum etenim quia ipsa patria potestas penes avum est, ab eodem etiam potestatis hujus effectus, Jus nempe indigenatus deducendum venit. *L. 17. §. 9. ad municip.* Sed hoc ad usum nostri fori extendendum non erit, partim, quia filiifam. hodiè, cum nuptias contrahunt, & eo ipso proprium simùl larem atque focum, ut plerumque fit, constituunt, à sacris paternis liberantur, filiabus per solas nuptias, etsi mensâ paternâ ad huc fruantur, patriæ potestati exemtis, partim, quia Romanum istud ex sola nativitate Indigenatûs Jus generali fere consuetudine sublatum est. Dantur verò alii adhuc casus, quibus ex maternæ originis & Civitatis ratione, Jus indigenatûs reputatur; si videlicet (1.) patre apud ho-

ſtes defuncto, mater poſtliminio in Civitatem reverſa pariat *L. 1. de capt.* (2.) Si liberi ſint vulgò concepti, aut naturales non legitimati *L. 9. eod.* (3.) Si maternæ Civitati ejusmodi privilegium competat. *L. 22. & 61. C. de Decur:* Undè patet, tale quid Antiochenæ urbi conceſſum fuiſſe. (4.) Si mulier, quæ ad ſecunda vota tranſit, à Principe impetret, ut ipſa & liberi omni Jure prioris mariti cenſeantur *L. ult. de Senat: Guido Papa deciſ. 349. & 380.* (5.) Si ſtatuto vel conſuetudine introductum ſit contrarium. Sic apud Locros, Lycios, Ponticos receptum fuit, ut liberi ad familiarum certitudinem matris ſequerentur originem & nomen; & de Regnis in littore Malabarico refert *Balby de ſcript. Conchini tom. 2. navig. Belg. p. 10:* ſucceſſionem in eis non maſculino ſed fœminino ſexui deferri. Lovanii etiam, ex Matre indigena natus, patre alterius Civitatis exiſtente, honorum capax cenſetur; Quod Salmanticæ quoque tributum eſt fœminis ex certis proſapiis deſcendentibus, quas *des lignages* vocant; *Amaya ad L. 39. in f. C. de Decur:* Spectatque huc Jus devolutionis in Brabantia, quod anno 1667. Bello Hiſpano-Gallico, cauſam dediſſe ſcimus. Imo in quibusdam Regnis, ut Angliâ, Sueciâ, Daniâ, Hiſpaniâ, ſi Regina nubat extraneo, liberi Indigenæ & Regni Principes hereditarii à matre fiunt *Tiraqu. de Nobil. c. 18. n. 39 ſeq.*

Theſ. XII. Secus eſt in Regno Franciæ, ubi Lex Salica viget, non à flumine ejus nominis dicta, ut erroneè ſtatuit *Louis de Maimbourg ex ſacerdote S. J. nunc Abbas in hiſt: de la decadence de l'Empire L. 1:* Sed à conditoribus, qui ut Franci, ita Salii vocabantur, quaſi liberi exantiquâ voe Saal; Unde hodie adhuc circa Brunſuicenſem, Bremenſem & alios tractus prædia immunia vocantur Saal-Gütter & diſtingvuntur ab eis, quæ præſtant equum, ideoque Sattel-Gütter appellantur. *Vid. Conring: de Orig. Jur. Germ. c. 7.* Vi hujus legis nullum in ſucceſſione Regni Jus fœminis; & mulieres ex domo Regiâ, non domui Regiæ cenſentur liberos parere, ſed ei, cui nubunt. *Choppin. de Doman. L. 3. Cabotius L. 1. diſpunct. c. 16. & 17.* Unde licet inter tria Galliæ Cimelia Scutum quoque liliatum vulgò referatur non tamen de nihilo eſt, quod *Boxhornius & alii* ſtatuunt, inſignia Liliorum ad excluſionem perpetuam fœminarum denotandam, auctoribus Monachis medii ſeculi aſſumta fuiſſe, reſpiciendo ad dictum Salvatoris in Evangelio: *Lilia non nent.* Conſtat ergò de Jure Civ. regulariter, originem paternam Jus

Ingi-

Indigenatûs dedisse. Aliud hodie obtinet; Nam, etsi quædam privilegia originis adhuc remaneant, quod v. gr. pretium receptionis à Civium liberis solvendum dimidiæ tantùm, aut aliàs minoris partis sit; quod Civium liberi etiam ante comparatum Jus Civitatis immobilia acquirere & possidere posſint &c. quod reverentia origini debita semper maneat &c. naturale tamen indigenatûs Jus, eâ qua olim habebatur amplitudine, non ultra competit; cum originarii non minus ac extranei nomina profiteri, & solenni receptione Cives fieri debeant, & ipsum originis Jus, quod olim immutabile erat, secessu ac animo non redeundi amittatur. *vid. Pauermeister L. 2. de Jurisd. c. 8. n. 37.* Acquirimus etiam jure Canonico Jus Parœciæ **das Kirch-Spiel Recht/** seu Ecclesiasticum Indigenatum baptismo, qui Spiritualem nativitatem operatur; *c. 3. x de baptism. in fin.* Etsi enim ab alio quoque Parocho, æque ut à Laïco, Fœmina, Schismatico, & excommunicato &c. in itinere vel aliis necessitatis casibus infantes baptizari queant, *Can. 21. 32. 36. 40. & 51. dist. 4. de consecrat:* Regulariter tamen in Parœcia Parentum baptismus eis conferri debet, **wo die Eltern eingewidmet und verpfarret sind**; cum liberi uti civile Indigenatûs Jus in eo loco consequuntur, cujus Parentes Cives sunt, ita hoc Ecclesiasticum ibi sortiantur, ubi habitant & Sacramenta percipiunt Parentes *Arg. L 14 pr. C. de S. S. Eccl.*

Thes. XIII. Quia verò sœpe contingit, Jus Indigenatus nos expetere, eo in loco, in quo nati non sumus, invenit propterea Jus Civ: juxta *L. 1. & 6. de I. & I. & §. 4. I. de Adopt.* Nativitatem Civilem, quæ est actus legitimus, quo ii, qui vera Origine Indigenæ non erant, tales solennitate & fictione juris efficiuntur; Obtinetur autem quatuor modis, adoptione, manumisſione, Domicilii constitutione & allectione *L. 1. ad Municip.* L. 7. *C. de incol* De adoptione & Manumisſione res est extra controversiam, cum illa naturam imitetur. L. 7 *C. de adopt:* hæc verò imago quædam nativitatis sit qua servus, qui nullus antea habebatur, in Civitate quasi nascitur, L. *17. 22. & seq ad municip.* De incolatu tamen & allectione paucis dispiciendum; Olim videlicet, qui animo perpetuæ Mansionis constituerat Domicilium, loci municeps habebatur, & quia accidentalis Domicilii Electio jus Originis non tollebat L. *1. & 7. C. de municip.* in utraque civitate onera Decurionatus sustinebat, hîc voluntatis, illic originis ratione L. *fin. C. eod.* Sed moribus hodiernis, quia ob libertatem migrandi nativitas non affigit amplius

loco,

loco Jus Originis, secessu & animo non redeundi amittitur, novusque Indigenatus domicilio acquiritur. Neque hic domus tantum sufficit, quæ facti est, & sine habitandi animo haberi potest, sed Domicilium requiritur quod juris est, & Voluntatem, Larem rerum fortunarumque statuendi, Feuer und Rauch zu halten/præprimis exigit; *Colerus de Processu executiv: p. 2. c. 1. n. 30.* Unde etiam Inquilinus ab Incola, & si sœpe hæc nomina promiscuè in LLbus occurrant, differt, quod Inquilinus sit, qui alicujus rei gratia in Civitate ad tempus subsistit, ut Mercatores in nundinis, Milites præsidiarii, Studiosi &c. qui tamen omnes, civitatis legibus, quamdiu ibi vivunt, adstringuntur, nisi speciali exemptionis gaudeant privilegio, exemplo Studiosorum per *Auth. Habita C. ne pater pro filio*, quo usque seriò Studiis incumbunt, nec alteri functioni se addicunt L. *35. ad Municip.* L. *239. §. 4. de V. S.* L. *1. C. de incol. Rebuff. de privileg. Scholar. c. 77.* Incola verò in Civitate ita fixus habitat, ut inde non sit discessurus, si nihil avocet, adeoque, si absit peregrinari videtur, & reversus dicitur desiisse peregrinari. L. *7. C. de incol.* In probando Incolatu non levis hæret difficultas; Nam, si expressa habitantis declaratio adsit, tunc ea sola sufficit, sine ullo indicio, utut quis nihil rerum suarum eò transtulerit. *Mascard. de probat. concl 536. n. 3.* Ast si ea non habeatur ad Conjecturas confugiendum, quæ licet variæ aliàs à D.D. assignentur, ut videndum apud *Masc. dict. concl:* omnes tamen in divinationibus tantùm consistunt, & tutiùs ideò arbitramur ad Judicis hic, ut in dubio, confugere arbitrium, cum ipsum decennium, quod plurimi ex L. *2. C. de incol.* sufficere putant, sœpissime fallat, & in Consiliariis v. gr. Principum, Ecclesiæ Ministris, Syndicis &c. non semper vim suam exserere possit. Videtur tamen ex praxi hodierna hujus controversiæ nullus esse usus, postquam ubiq; ferè statutis aut consvetudine, annus, vel aliud tempus incolatui præfixum, intra quod incolæ Jus Civitatis petere tenentur, & si non petant, competentibus ad id mediis cogi aut civitate arceri possunt. *Gail.* L. *2. observ. 35.* Ut adeò Incola & Indigena, etsi hodiè æq; ac olim nomine, & modo jura Civitatis qværendi differant, effectu tamen, ubi in Civitatem uterq; receptus est, conveniant. Exceptis personis Ablegatorum, Residentium & aliorum qui officii Necessitate adacti citra voluntatem alicubi commorantur, ut Ministris Principum,

De

Deputatis, Syndicis &c. Illis etiam, qui licet *Incolæ* tantum sint, privilegio tamen speciali Jus Civitatis quoad commoda acceperunt. *Tileman. in Decis. Cameral. Syntagm. 2. dec. 1. Vot. 1. n. 34. & seq:*

Thes. XIV. Restat ut de allectione videamus; Hæc est receptio in Civium numerum & Civitatis Jus, & peragitur vel à summa Majestate, quæ naturalisatio, vel à Magistratibus inferioribus, quæ allectio in Specie vocatur, & expeditur in Gallia atq; Anglia decretis Parlamentorum, in Polonia verò, per Constitutiones Regni, in Comitiis. Definitur ea, *benefica & liberalis Juris Indigenatus à Principe ex plenitudine potestatis peregrinis facta concessio.* Cum enim *sorte & loco nascendi merita & mores non discernantur, & Principatus intersit non vilipendi Principis personam, quasi non possit nisi apud se natis benefacere: quis quæso subditorum æstimare auderet quem supra cæteros & quibus de causis Princeps extollit? Tacit 6. An. c. 8. Sæpe quidem fato quodam, Principum inclinatio in hos, offensio in illos, imò quibusdam fortuna pro virtutibus est;* ideò tamen nihilo minus, *quod Princeps occulte parat, exquirere illicitum, anceps, nec propterea assequendum. 4. An. c. 11.* Arnisæus quidem *Doctr. Polit.* L. *1. c. 6. Bodinus item* L. *4. de Republ. c. 6.* & plures alii Politicorum inter JCtos etiam *Perez. ad Tit. C. de Municip. n. 14. & 15. Molin. in consuetud. Paris. T. 1. part. 2. gl. 3. n. 7. &c.* mordicus defendunt non admittendos ad Jus Indigenatus peregrinos, putantque Romanam Remp. ex pereginorum exclusione tanto tempore substitisse, allegantes præterea Lycurgi & Solonis contra advenas latas LL. Russorum & Sinensium mores, antiquorum item Scytharum & Jndorum & hodiernorum Insulæ Koreæ atque Regionis Biledulgerid, Incolarum observantiam. Imò *Lipsius in not. Polit.* non veretur dicere *esse Signum labentis Reipubl. ad quam fulciendam adhibentur peregrini, ut, in quam domum vespillones veniunt, funeris est indicium.* Sed, ut hanc controversiam Juridicè ex §. 3. & ult: proœm: I. expediamus, distinguendum arbitramur inter peregrinos præ Originariis, prudentiâ, experientiâ, virtutibus denique & meritis in Principem atque Rempublicam claros, & eos, qui nulla egregia qualitate præ Indigenis conspicui sunt. Hos nullus unquam Princeps, nulla Res-pub. suis Civibus & subditis natis anteferet, sed, si, qui anteferuntur, ejus conditionis esse appareant, vi occultæ alicujus

 & soli

& soli Principi cognitæ qualitatis talem eos prærogativam mereri firmiter statuendum est; cum uti *Principis inclinationi semper aliquid vel in delectationem dandum*, ita *non in LL. tantùm ferendis*, *sed aliàs etiam quicquid Principi placet legis habeat vigorem L. 1. de Constit. princ.* Priores illos præferri ex ratione Iustitiæ distributivæ quilibet dicet justissimum, *cum merita & benefacta in nullo unquàm homine debeant carere præmiis*, *& ibi quisq; mercedem laboris percipere debeat*, *ubi laborem impendit. Nov. 82. c. 9.* Accedit, quod admissione peregrinorum ad benè agendum incitentur Indigenæ, exclusione contra ignavi, otiosi, superbi, & nimii, imò iniqui sæpe suæ virtutis æstimatores & alienigenarum Contemptores fiant. Quomodo ex admissione peregrinorum ad Jus Indigenatus, Athenæ, Alexandria, Roma etiam, Bourdegalæ, Portus Gratiæ, *Havre de Grace*, Africæ etiam ditiones ex Maurorum atque Judæorum exclusione, & Provinciæ Unitæ ex Protestantium ejectione in Hispaniâ, Hamburgensium denique opes ex Receptione Judæorum, quos antea Lubecenses ipsorum Hamburgensium consilio excluserant, creverint, & alia plura hîc non addimus, sed ad Politicos desuper provocamus & in specie ad *Machiavellum de Re-pub. L. 2. c. 3.*

Thes. XV. Allectione in specie dicta, quæ à Magistratibus inferioribus peragitur, Jus Indigenatus Civile consequimur, cum nobis conceditur Jus civitatis das Bürgerrecht. Neque hîc Juribus Majestatis quicquam decedit, sed distinguendum est inter Jus constituendæ Civitatis, quod est ex numero Reservatorum atque Regalium, & jus concedendæ Civitatis, quod mediante facultate à Summa Potestate desuper concessa Magistratui inferiori competit. In allectione hac præcedere debet (1) Examen assumendi, ut talis sit, cui Civitas legitimè negari neqit. (2) Solutio pecuniæ, quam pro receptione exigunt statuta des Bürgergeldes/ cujus summa alia est in majori Indigenatu, wenn einer Großbürger wird alia in minori im klein Bürgerrecht; alia item, cum filii Civium, alia, & quidem semper Major, cum planè exteri recipiuntur. (3) Juramentum quo promittitur Magistratui obsequium & salutis publicæ observatio, Salvâ fidelitate, quâ Subditi vi Homagii ipsi Principi se adstrinxerunt. Hoc enim est juramentum immediatæ & universalis subjectionis, quod vi Superioritatis territorialis & Juris Supprematus exigitur, der Erb-Eyd / die Landhuldigungs-Pflicht; & à civium

vium quoque liberis, licet Parentes juraverint semper renovandum est. *Knichen. de Jure territ. c.3. n.278.293. seq.* Illud verò der Bürger-Eyd/ Juramentum tantum obsequii est, ratione Domicilii, habitationis & inde fluentis Jurisdictionis, præsupponitque, ut exceptam Reverentiam supremo Principi debitam, ita originem & causam Jurisdictionis, quæ Magistratibus inferioribus competit, in summa Potestate. (4) Deinde, ad allectionem accedere debet inscriptio in Matriculam Civitatis, in qua si quis non reperiatur, argui exinde in dubio solet, eum non factum, aut si nomen deletum, desiisse esse Indigenam. *Mascard. de Probat. concl. 1141.* Alias insuper in hac allectione Solennitates jus consuetudinarium exigit; ast quia in iis mores locorum & statuta variant, certi aliquid determinare non possumus, sed hoc unicum ex dictis concludimus, hodiè ubivis ferè duos tantum esse Jus Indigenatus acquirendi modos, allectionem nempe, in Civium Liberis & Naturalisationem in Peregrinis. Allectioni verò Jure Can: & Feudali comparamus receptionem Monachi in Monasterium & concessionem Feudorum pluribus Vasallis ab eodem Seniore in eodem Territorio factam. Ut enim Monachus hoc ipso Civitatis & loci in quo Monasterium situm est, Civis fit, ita ejusmodi Vasalli Pares Curiæ, & Feuda ipsorum feuda in Curte fiunt *1. Feud. t. 18. princ. in fin.* Accensenda etiam allectioni, immatriculatio Civium Academicorum, qui Indigenæ Academiæ sunt, non incolæ Civitatis neque Indigenæ, quia Ordinarium forum Civitatis non agnoscunt, sed peculiare corpus constituunt, propriis LLbus & Consuetudinibus, ex concesfione Principum, ad commodius discendum & docendum. *L 2. C. de Incol.* Unde nec Studiosi in Patriam reversi ad onera civilia cogi possunt, sed retinent Privilegia Academica donec conditionem Studiosorum deserant, & in jus Civitatis transeant. Hæc tamen non obstant, quo minus, ut Monachi Civitatis, in qua Monasterium est, ita DD. etiam & Professores loci, in quo Academia habetur, Indigenatus jure, quoad commoda fruantur, cum id à Principe specialibus privilegiis impetrarunt, ut plerumque fieri solet. Applicat dicta ab Academiis ad Assessores Cameræ Spirensis *Tilem: in Decis Camer. Syntagm. 1. Dec. 5. n 3.* quem secuti idem statuimus, de Deputatis in Poloniâ & Lithuaniâ ad Tribunal. Hûc etiam referimus Cives honorarios quales sunt Incolæ Civitatum Sociatarum, Equites Clinodiorum, & illi quibus ex Consilio

Campanel. de Monarch. Hisp. c.10. Rex Galliæ annua Stipendia donat.

Thes.XVI. Transeamus nunc ad prærogativas in quibus Jus Indigenatus consistit. Ex Jure Civ: Indigenæ quoad jura personarum habebant (1) Jus Dominicæ potestatis; nam peregrinorum, quia bona possidere, jure Quiritum frui & hæreditates acquirere non poterant, in servos etiam, ex quorum persona hæc & alia Dominis accedebant, nullum Jus erat. (2) Indigenis tantum competebat Jus patronatus *L.10. §.6. de in jus vocand.* (3) Jus Patriæ potestatis *§.2.I. de Patr. potest.* (4) Jus contrahendi nuptias, quoad effectus civiles; licet quoad Jus naturæ subsisteret Matrimonium cum peregrinis *pr.I. de nup. junct. Leg. 1. §.2. de pact.* (5) Jus Legitimationis *§.ult. de nupt.* (6) Adoptio, *pr.I. de Adopt.* (7) Emancipatio *§.6.I. quibus med Jus Patr. potest.* (8) Agnatio *L.3. de Legit. Tutor. ad: L.73. de R.I.* Ex jure rerum soli Indigenæ (1) habebant Dominium plenum & Quiritarium seu Legitimum, cum peregrinis tantum bonitarium concederetur *L. un. C. de und. jur. quirit tol.* (2) Indigenis tantùm competebat jus acquirendi Dominium per mancipationem, cretionem, cessionem in jure, & usu capionem, exteri verò nudam traditionem & occupationem habebant. *Gajus L.2. I.t.1.* (3) Indigenæ soli locum religiosum facere & tenere poterant. *§.9. I. de R. D.* (4) Jus venandi, lignandi, piscandi, pascendi &c. non nisi Indigenarum erat. *Sixtin. de Regal. c.18.* (5) Servitutes tam reales quàm personales, donationes & jura peculiorum Indigenas exigebant. *Vid. unn. ad L.3. C. de Jure Dom. impetrandi.* (6) Dispositiones Juris Civilis de Testamenti factione activâ & passivâ & de Testibus Testamentariis in Indigenis tantùm locum habebant *§.1. & 6. de Test. Ordin. & L.11. quibus non est permiss. fac. Testam.* licet, quæ de fideicommissis particularibus & Codicillis dicuntur, peregrinos quoque admitterent *§.1. de fiduc. hæred. §.2. de Codic.* (7) Successio legitima, ceu in Agnationis Jure fundata Indigenis tantùm competebat. *L.73. pr. de R.I.* In Jure etiam ad Rem etsi obligatio, tam Civilis & mixta, quam naturalis, sive minus plena, sive plena, approbata à Jure Civ: & reprobata ex contractibus realibus, verbalibus, & literalibus, imò ipsa locatione ex consensualibus in peregrinis quoque vim suam exsereret, solos tamen Indigenas admittebat Jus Civile ad emptionem, Societatem, Emphiteusin & mandatum Judiciale *L. un. C.*

non

non lic. hab. metro. & L. 14. C. de contrah. Empt. Quid, quod ex ipsis quasi contractibus, Tutelæ gestio, communio, hæreditatis aditio, in Jndigenis tantùm locum inveniant §. 4. *I. quibus mod. Tut. fin.* §. 4. *quib. mod. Testam: infirm:* ? Aliud obtinet in obligationibus ex maleficiis, & quasi delictis, in quibus, quia *delicta tenere debent suos Auctores, & ibi supplicii statuendum est remedium, ubi mali exempli datum fuit nocumentum L. 28. §. pen. de pœn: ut Provinciæ à Peregrinis flagitiosis pacatæ sint, L. 3: de Offic. Præsid. Nov. 69. c. 1.* peregrinus delinquens foro & LLbus istius loci ex ratione delicti non tantum subjicitur, sed etiam, si fuga se subtraxerit, ad locum delicti de jure Civ: necessariò remitti debet. *Nov. 134. c. 5.* ne in Indigenarum detrimentum & peregrinorum emolumentum, contra æquitatem detorqueatur, quod in specialem prærogativam Indigenis concessum est. *L. 10. de Confir. Tut.*

Thes. XVII. Ratione Actionum & Judiciorum etiam, peculiaria Jura Indigenis competebant. Si enim quis diffamando, vel sine diffamatione in Indigenatus possessione constitum turbasset, poterat conveniri *ex L. diffamari 5. C. d. Ing. manum* : Interdicto uti possidetis *l. f. h. t.* Interdicto unde vi, *L. 1. pr.* §. *1. & seq. de vi & vi arm.* Ex petitorio verò pro Indigenatu agens habebat omnes actiones personales & reales, quæ aliàs in simili casu de jure Civ: competunt §. 1. *& sq. J. de Act:* Forum item Indigenæ quoad munera personalia & honores non aliud habebant, præterquam locum Originis *l. 14. §. 3. de Muner:* quoad p[atr]imonialia verò, contractus, & alia negotia, locum Domicilii *L. 6. §. 1. ad municip.* extra quem nisi publica causa exigente evocari & in jus trahi non poterant. *L. 25. C. de Decur:* Et ipsi Indigenarum seu Municipum Magistratus, Decuriones nempe licet Comitivâ Consistoriana decorati, alium tamen non agnoscebant Judicem, præterquam suæ Provinciæ Præsidem *L. 47. C. eod* Imo, ut in Originarium Romanum nullus Magistratus sine jussu & suffragio Populi, *per legem Publicolæ*, capitis sententiam dictare poterat, id ipsum docente provocatione Apostoli Pauli ad Imperatorem Romanum *Actor: Apost. c. 27:* ita ipsi Decuriones Eculeo, fidiculis, Ungulis & aliis plebejorum tormentis subjici non poterant, nec propter officium malè gestum capite puniri, sed mulcta tantum Relegatione, deportatione, & plumbatarum

batarum ictibus coërceri. *L. 15: de pœn. L. 33. L. 57. & 40. C. de Decur. L. 6. §. 2. d. Interdict. & releg.* Nec minoribus privilegiis Indigenæ in Jure Civ: publico fruebantur. Filii enim Patri in Decurionatu succedebant, &, Decurionatu à Patre amisso nihilominus Decurionum privilegiis utebantur. *L. 4. C. de Decur.* Præterea toga & prænominibus Indigenæ tantùm utebantur, ac soli in Legionibus militabant & ad Comitia admittebantur. *Rosin. L. 6. Antiq. c. 4. & 20.* Ex solis Curialibus Decuriones legebantur *L. 7. pr. eod.* Exteri ad Decurionatum non admittebantur, *per Legem Pompejam*, nisi allectione Cives facti Domicilium simul fixissent, & immobilia possiderent *L. 46. C. ead. & L. 7. C. de Incol.* Novi Decurionis electio fieri non poterat nisi omnibus decurionibus præsentibus, aut saltem vocatis. *L. 2. C. eod.* Ex Decurionum tantum corpore poterant assumi Duum viri *L 5. 7. & 18. C. de Decur.* Decuriones non tenebantur Tabelliones, Procuratores aut Publicani fieri, quia horum vilis abjecta & servilis conditio habebatur. *L. 34. & 57. C. de Decur.* Advocati & Procuratores Fisci contra tanquam honorificâ Dignitate splendentes ex ordine Decurionum legebantur *L. 30. C. eod.* Propriis utebantur insignibus; præter ordinaria tributa nil pendebant, facultatibus deniq; muneris ratione absumtis, ex publico alebantur *L. 18. & L. 51. C. ead.*

Thes. XVIII. Sed circa hæc omnia jus hodiernum in plurimis variat. Nam ex jure publico quorundam locorum exteri à Principatu, ut in Lusitaniâ & Galliâ, excluduntur. Imò notatum est ad Dignitatem Papalem à tempore Alexandri VI. non nisi Italos, unico Adriano VI. excepto admotos fuisse. Unde *Becm. Notit: Dignit. Dissert. 13. c. 2. §. 1.* refert vacante sede Alexandri VII. Pasquinum introduxisse, Cardinales Germanos, Gallos, Hispanos, Papatûs Candidatos sententia ex Ps. 91. *Cadent à latere vestro mille & decem millia à dextris vestris, ad vos autem non appropinquabit*, dimissos. Sunt etiam qui in Imperio Imperatorem, Germanum præcisé, eligendum esse, legibus Imperii conforme statuunt; sed hoc, obstantibus maximè exemplis, Alphonsi, Richardi, Wilhelmi &c. Jure aliquo scripto Aureæ Bullæ, vel Recessuum Imperii, aut pacto Populi Germanici expresso niti, *cum Illust: Domino Rhetio in Jure Publ. L. 1. T. 4. §. 31.* negamus, & concedimus quidem

dem *Sigonio L. 5. de Regn. Ital.* inter Ottonem M. proceres Germaniæ, & Pontificem atq;, Populum Romanum convenisse, ut Rex Romanorum esset, quem elegissent Germani; inde verò, quia non sequitur, tantum ex Germanis eum eligendum esse, deducimus potius prærogativam istam Germanorum in Dignitate Imperatoria ex Jute non scripto & Consvetudinario. In Polonia contra, etsi hunc suorum morem reprobent. *Piasec: ad Annum 1587. pag. 59. A. O. cens. Cand. in Piast.* diu obtinuit, ut Rex peregrinus eligeretur; nam Piastum per expressas Leges Regni excludi ut vult *Personatus Marinius de Scopo Reipubl. Polonicæ. c. 4.* error gravissimus est. Ad alias etiam Dignitates alicubi admittuntur exteri, v. gr: In Imperio, ubi fieri possunt Principes & status *R. J. de Anno. 1654. Instrum. Pacis Osnab. art. 10. §. 4.* & Corporis custodes ut plurium Principes è peregrinis eligere solent, sicut ipsi olim Reges Hebr: fecerunt: Nam per *Creti & Plethi, Cretenses & Gethas* intelligi *Georg: Franck:* docet *Lexic. sancto n: 642.* Ita & in Belgio fœderato non removentur peregrini, præterquam exillis nationibus quæ par Jus in Hollandos observant. *Grot. introd. Jur. Holland. L. 1. p. 13. §. penult.* E contrario in Gallia & Anglia excluduntur exteri, atq; motus, qui hæc Regna concusserunt, in admissos peregrinos rejiciuntur. *vid. Antimach. L. 1. Theor. 3. Bugnion. L. 2. Leg. abrog. Milt. in Defens. Populi Ang: & Jac:* 1. *instit. Regiar: ad filium. L. 2.* Sic & in Imperio soli Germani sunt promovendi ad officia, tam Imperii quam Aulica, Reichs-und Hoff-Aempter. *Capit. Carl. V. a. 13. Ferd. III. a. 15. O. C. de 1654. Tit. 1. Transact: Passavv. §.* demnach soll. Et ad Comitia non vocantur præterquam status, unde nec in iis admittitur Rex Bohemiæ, qui id sæpius tentavit; licet enim Jus habeat in eligendo Imperatore, status tamen Imperii non est *Arum. de Com: c. 5. n. 32.* In Polonia quoq; Magistratus non conferuntur, præterquam solis indigenis. *Janusz Lib. 3. Constit. part. 5. t. 1. Fredro in Henric: pag. 81. Piasec. ad Annum 1598. p. 186.* videturq; apud Venetos, Genuenses, Helvetios, Hispanos idem obtinere *ut vid: ex Antimach. loc: cit.* Nos ad quæstionem quæ ex his omnibus resultat, an nimirum justum sit exteros ad officia extollere, sive excludantur per manifestas leges & Consuetudines, sive non? respondemus, juxta ea, quæ *Th: 4.* diximus; Hoc tantum addimus, honore vel officio à Principe aut Republ. donatos, non peregrinos amplius

plius esse, sed eo ipso censeri, naturalisationis beneficio, tales effectos, quales naturâ non erant, i.e. indigenas; cum naturalisationem consequantur illi etiam, qui isto in loco, in quo aliàs peregrini sunt, animo perpetuò in Civitate habitandi & larem constituendi uxorem ducunt, die sich durch das Weib in die Stadt einfreyen. *Zanger. de Except. part. 2. c. 1. n. 65.*

Thes. XIX. In privati etiam juris effectibus non idem ubiq; servatur, nam, quoad jura personalia, pari cum Indigenis jure exteri ferè ubivis gaudent, nisi quis dicere velit, in Burgundia & Francia peregrinis non esse jus Dominicæ potestatis, quia Servi ex Hispania & aliunde venientes simul ac fines dictarum Regionum attingunt, liberi fiunt. *Charondas pand. Jur. Franc. l. 2. c. 2.* quod tamen propriè non dicitur, cum tales servi, quia alibi deinde deprehensi revocari in Servitutem possunt, non tam liberi reddantur, quam in libertate denegata, quamdiu istic sunt, defendantur; sic etiam à Nuptiis arcentur infideles & hæretici, tanquam peregrini, quia extra Civitatem Christianam vivunt; & infidelitas quidem superveniens, ob periculum perversionis, etiam contractum matrimonium solvit; Hæresis vero propter communionem Sacramentorum tantum contrahendum impedit; Et hoc, licet ad Reformatos Romano-Catholicos & Lutheranos, quibus omnibus liberum Religionis exercitium per *Transactionem Pasfav:* concessum est, non extendendum, ut quidem in Hispania & alibi ubi Inquisitio viget, contra æquitatem extenditur: Sponsalia tamen, ob hanc Religionis diversitatem, si ejus ignorantiam pars pœnitens probet, rescindi posse, cum *Dn. Bruneman: ad L. 16. C d. Episc. aud.* asserere non vereor. In Jure rerum, Dominio bonitario de Jure Civ: sublato, *per L. un: C. de nud. jure quir: toll:* quæ dicta sunt indigenis olim præ peregrinis competiisse, quoad Dominium & ejus acquirendi modos, antiquata sunt, & idem ferè circa hæc omnia exterorum atq; Originariorum Jus est, accedente temperamento, quo supra in *Th. 13.* explicavimus, Incolas hodiè, intra certum tempus ad civitatem petendam cogi posse *vid:* Pr. Landr. *L. 1. Tit. 14. §. ult.* In Polonia tamen soli Indigenæ possident bona immobilia aliis verò non pleno sed tenutario tantùm Jure, Pfandsweise eadem obtinere conceditur, *Janusz: constit. L. 8. part. 2: p. 1031.* Videntur tamen peregrinis in acquisitione bonorum assimilari apud Venetas Clerici, quibus per Leges Reipub. interdictum

dictum est immobilium possessione, Republicâ Anno 1605. gravi propterea bello involuta cum Paulo V. cujus lepidum cum Leonardo Donato, Legato antea post Duce, colloquium, & parem sermonibus eventum *vid. ap. Piasi: ad dictum annum p. 234.* In Gallia peregrinis quasi accensentur manus mortuæ personales, *gens de main morte*, quibus opponuntur manus mortuæ reales, seu prædia manui mortuæ subjecta; istæ enim manus mortuæ, denotantes omnes Universitates, de quibus aliàs dicitur, quod non intereant, nulla prædia acquirere ac possidere possunt, nisi speciali ipsius Regis indultu, quod amortizationem vocant sint habilitati & quasi naturalisati. In Religiosis itidem locis nullum hodiè amplius Indigenarum præ peregrinis Jus, cum non instituantur amplius sepulchra à privatis, sed authoritate publica, in Cœmiteriis, & alibi, ita, ut extra ea loca conditi caninam sepulturam consecuti dicantur. *Carpzov. Jurisprud. Consis: Tit. 24.* In venationibus & piscationibus &c. quia venari hodie in alieno non licet, peregrinis & bona non possidentibus, indigenas præferri, extra dubium est; Ubi verò Principes Jure superioritatis, & utilitatis publicæ causa, suis Regalibus hæc jura adscripserunt, ibi nihilo in iis plus prætendere possunt indigenæ, quibus id Speciali Jure non est concessum, quam Exteri.

Thes. XX. Quoad ultimas voluntates nullibi jus testandi ablatum Exteris, præterquam in Regnis Franciæ & Angliæ, Jure Albinagii *le droit d' aubeine*, quo Albini, dicti quasi alibi nati, vivunt ut liberi, moriuntur antiquorum Latinorum ratione ut servi. Excipiuntur ab hoc Jure qui literas naturalitatis à Rege obtinuerunt & privilegia Civitatis Gallicanæ, per pacem Matricensem, quales Belgæ, Portugalli, mercatores Anseatici, Legati &c. *Christ. decis. lib. 6. tit. 58. decis. 228. Bacquet du droit d' aubeine libr.* 1. *cap. 7.* Ut tamen contra Gallos jure Talionis hoc albinatu alii quoq; uti possunt. *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 6. §. 24. Hartm. Pistor. observ. 43:* ita peregrinis ubivis æqviparantur liberi perduellium & Reorum Crim: læsæ Majestatis, *Aurea. B. t. 24 pr.* Illorum etiam, qui conscientia criminis confiscationem inferentis, manus sibi violentas intulerunt. *Schepl. ad consuet. March. part. 3. T. 5. §. 2.* hæredes verò existentes peregrini, si non sunt Professores, aut Pastores &c. onerantur, ubiq; jure Gabellæ mit dem Abschoß; tenore cujus certam portionem hæreditatis vel dotis, loco, ex quo eam petunt, relinquere tenentur. Sic Jure Lubecensi vidua aut virgo peregrina, quæ Civi nupsit, marito

mortuo, emigratura, id tantùm, quod ad Maritum intulit, efferre poteſt, reliquum in Civitate manet. *Mev:part. 2. tit. 2. art. 4. Ad jus lubecenſ.* In Saxonia verò, & aliis locis atq; Civitatibus Imperii, certa tantum portio, juxta ſtatuta & conſuetudines varians, alibi quarta, alibi tertia &c. detrahitur. *Gailius l. 2. obſerv. 26. Cöppen. deciſ. 5. n. 1.* In Marchia quindena tantùm ſolvitur, niſi peregrini inſuis terris duriore utantur jure, tunc enim obtinet Regula, *quod tantum hæreditatis peregrinus petere poſſit, quantum in eo loco ex quo venit dari ſolet. Scheplitz. l. c. tit. 1. §. 5. ſeq. Tit. 6. §. 1.* In Pruſſia, exteri hæredes Fiſco relinquunt quartam, quæ dicitur die quart außländiſcher Erben. Excipiuntur, per ſpecialia pacta reciproca, incolæ Civitatum Thorunii & Elbingæ, quæ, ut in hæreditatum petitionibus ſic ratione dotium, nil dant; pari jure obſervando, iſtis in locis, quoad Pruſſiæ Cives. Gedanenſibus verò, per pacta itidem, loco quartæ, decima tantum detrahitur. In emptionibus & ſocietate citra controverſiam hodie admittuntur peregrini, relicto tamen indigenis, quantum ad Emptiones, Protimiſeos, & Retractus jure, der Vorkauff Handkauff oder Kauff auß der erſten Hand; Jure item, merces vendendi exteris, & facultate, pondere atq; menſuris minoribus venditionem exercendi Pfundt/Ellen und Stoffweiſe zu verkauffen. cum peregrini magnas tantum mercium portiones vendere queant Stückweiß/ in Ballen / und ins groß. Huc etiam ſpectat Jus ſtapulæ das Niederlag Recht/Jus vectigalis & Telonii Jus repreſſaliarum, Jus Littoris das Strandrecht/apud nos poſt annum & diem Pr. L. R. *l. 3. tit. 1. art. 12. § ult.* In Dania verò & alibi bi ſtatim, ſine ulla ex ratione Fiſci iniquitate; cum preces etiam publicæ, quæ eo nomine in Dania fiunt, daß GOtt wolle den Strand geſegnen/ non id velint ut multa naufragia fiant, ſed, ut, naufragiis factis, merces ejiciantur ad eorum littora. daß wofern einige Schiff-Brüche geſchehen die Gütter bey ihnen vielmehr/ als anderswo/ außgeworffen werden/ oder in der See bleiben mögen. Ad tutelam ſolos Indigenas, ad Judicia & Actiones verò, peregrinos etiam admittunt Jura noſtra, imò ſpeciale hîc præ Indigenis privilegium exteris concedunt per *jus Hoſpitum* quod aliàs *Indilatum* vocant, das Gaſt- oder Unverzog-Recht/ de quo vid: Pr. L. R. *l. 1. tit. 13. art. 1. §. 2. Hiltrop. de proceſſu judic: P. 2. tit. 3.* Forum agnoſcunt Indigenæ hodierna praxi ferè ordinarium, exceptis in Imperio qui vocantur Schrifft- oder Canzeleyſaſſen/ qui non, niſi coram Principe in Jus vocari poſſunt,

ſunt,

ſunt, cum Amptſaſſii præfectorum Jurisdictioni ſubjaceant; Excipiuntur etiam in Saxonia & Imperio die Lehns-Leute, qui in feudalibus tantum coram Domino comparent, in non feudalibus verò judices ſingulares, judicium nempe Rotvilenſe, vel alios agnoſcunt, cum contra Landſaſſii in omnibus cauſis ad Dominum rectè vocentur. Prætendunt etiam in Pomerania talem præ aliis prærogativam die Schloßgeſeſſene/ qui coram ſolo Principe comparere volunt; ſed Jus ipſorum controverſum eſt. Excipiendi præterea in Imperio illi Status, qui ſpeciali foro Auſtregarum gaudent; Sed de his & ſimilibus remittimus lectorem *ad Dominum Stephan. de Jurisd. l. 2. p. 1. c. 7. n. 2. Schubbard: de Auſtreg. & Blum: proceſ. Camer. tit. 26. in fin.* hoc unicum adjicientes, in Polonia Indigenas non adjudicari poſse Carceri niſi Jure victos exceptis publicis maleficiis. *Herburt. fol. 103. Przylus. fol. 170.*

Theſ. XXI. Habent etiam, quoad Jus Indigenatus Eccleſiaſticum, de jure Canonico, parochiani prærogativam, ut in plurimis, ſic præcipuè in vocatione Miniſtrorum & ſepultura; Nam, ratione prioris, debent in electionem & vocationem conſentire, nec poteſt eis invitis Paſtor obtrudi, ſi juſtas recuſandi cauſas habeant. *Can. 26. diſt. 63.* Imò ut, poſt cognita dona Canditati legitimè conſentire posſint, concio quam vulgo δοκιμαςικὴν vocant, die Probpredigt/ante ipſam vocationem requiritur. Juri verò Epiſcopali aut patronatus nihil exinde decedit, cum ad vocationem requiratur factum totius Eccleſiæ; Ordinis nimîrum Eccleſiaſtici, ratione examinis in doctrina, probationis in moribus atq; vita, conſecrationis deniq; atq; ordinationis; intuitu Magiſtratus, reſpectu Jurisdictionis, & confirmationis ordinati; Parochianorum deniq;, quoad ſuffragia & conſenſum, quem tamen non exigimus à promiſcua plebe, ſed à præfectis tantùm Eccleſiæ, Optimatibus ſingulorum Ordinum & potioribus Parochiæ membris; unde ulterius, ſi nulla juſta disſenſus cauſa Parochiani nitantur, præſentatus, ac ſi omnes conſenſisſent, vocatus cenſetur. *Finckelth. de jure patr. c. 6. n. 78.* Quod Sepulturam attinet, habent eam Parœciani, cum uxoribus & liberis, in ſua Parochia, ubi divina audire & Sacramenta percipere ſoliti erant. *c. 7. de Sepult. c. 2. eod. 6. niſi* alibi illam elegerint, quod, ceu in actu ultimæ voluntatis omninò licet, aliàs enim alienum Parochianum ſepelire, non conceditur; Imò nec ad eligendam Sepulturam voto juramento vel alia ratione quenquam obſtringere permittitur. *c. 1. & 3. eod.*

eod. In alia tamen Ecclesia electo sepulchro, Parochiæ propriæ portio funeraria, quarta aut tertia, major vel minor, pro loci consvetudine, relinquenda est. *c. 8. & 9. eod.* Excipiuntur ab electione Sepulturæ religiosi, quia *velle & nolle non habent*, adeoq; indistinctè in suis monasteriis sunt sepeliendi, nisi longius fortè absint. *c. 5. d. t. 6.* Addere etiam possemus ex Jure Ecclesiastico prærogativas quasdam, quæ competunt indigenis in Episcopatibus, Canonicatibus, Ecclesiis Cathedralibus, den Dohm Stifften Eleemosynis stipendiis omnibusq; aliis officiis & dignitatibus Spiritualibus; sed, quia hæc omnia cum eodem temperamento accipienda, quod supra ratione honorum secularium indicavimus, sufficiet desuper allegasse. *Schifhordeger, disp. for. l. 3. tr. 30. q. 4 Zyp. in Analysi Jur. Pontif. l. 3. & Carpz. Jurispr. Consist. l. 1. def. 25. l. 2. def. 324.* Idem dicendum de prælatione Originariorum, in Feudis vacantibus ad Dominum devolutis; unde, si Senior jus nobilitandi habens Feudum nobile, ein Ritter-Lehn/ cui opponitur Burgense, ein Bauerlehn concedat alicui, Feudistæ exinde, vasallum nobilem & indigenam simul fieri concludunt, nisi ex literis investituræ aliud appareat. *vid. Dominus Struv. Syntagm. Jur. feud. c. 3. th. 8. Rosenthal c. 2. qu. 2. n. 2.* Cæterum Pares curiæ, quos supra juris Feudalis indigenas esse docuimus, plurimis etiam prærogativis gaudent, in investitura enim ipsi soli sunt testes *2. feud. tit. 32. & 58.* in feudis non Regalibus judicant cum Domino *1. feud. 18. & 2. feud. 15.* etsi moribus hodiernis ejusmodi causæ in Principum tantum consilio ventilentur *Struv. c. 16. th. 5.* Quando feudalis controversia Dominum concernit, tum itidem Paribus curiæ jurisdictio competit; si Dominus vel Vasallus certas personas ex paribus non elegerint, omnes judicare debent, Judicaturi Pares curiæ novum juramentum præstare non tenentur, sed sufficit juramentum fidelitatis, in quo de justitia administranda simul juratur. *Struv. l. c. th. 6. c. 16.* Imperator si ob Feloniam feudo privare Principes velit, consensum Electorum qui hic pares esse censentur, adhibere omninò debet, vid. *Capitul. Leopold. Art. 28. Limn. in J. P. l. 2. c. 9. n. 30. & 54.*

Thes. XXII. Videamus jam formam Juris Indigenatus; Exhibet eam supra proposita definitio in tribus membris, quorum primum est, ut prærogativis nativitatis fruantur Indigenæ æqualiter. Secundum, ut iis perfectè gaudeant; Tertium deniq;, ut ipsæ prærogativæ ex ratione Societatis Civilis competant. Hæc enim omnia sicut æquitas exigit, *ne quos equalitas onerum pares fecit, eos imparitus commodorum*

distin-

distinguat. L. un. §. 4. C. de cad. toll. L. 20. C. de Jur. dot. ita omninò hic ex superioribus distinguendum, inter Jus Indigenatus verum & adscititium, plenum item & minus plenum. Nam Naturalisati, etsi pro Indigenis habeantur, in omnibus tamen ad Jura Indigenarum non ubiq; admittuntur, sed alicubi æquiparantur Libertis Romanorum, qui, nisi perfectam omnibus numeris libertatem per manumissionem, censu, testamento, aut vindictâ factam obtinuissent, Latini tantùm, ante *sublatam Legem Juniam Norbanam per L. un. C. de lat. lib. toll.* non Cives Romani fiebant. Huc spectant, quæ in Jure Romanorum de Novis hominibus & in Jure Hebræorum, de successione proselytorum, Reip. non cognatis, si, post naturalisationem, prolem non suscepissent competente, reperiuntut. *Tacit. 3. An. c. 55. & 4. c. 15. Seldenus de success. in bon. c. 26.* Sic enim in Anglia ad superiora officia naturalisati non evehuntur, uti hoc exemplo Marci Antonii de Dominis, tunc Decani Vindsoriensis, cum Episcopatum Eboracensem petens repulsam tulissit, inter alia comprobari potest. *vid Piasec. ad An. 1616. & 1624. p. 296. & 373.* Et in Polonia recens in Jus Indigenatus recepti, usq; ad tertiam progeniem, ad dignitates officia & Legationes non admittuntur; Haud rarò etiam peculiaribus, præter ordinarias & ab antiquis indigenis pendendas, contributionibus gravantur; nisi expressè in Constitutione addatur, quod novi Indigenæ ad omnia munia, æquè ut antiqui & nati habiles esse debeant. *vid. Pact. Conv. Moderni Serenis. R. §.* cudzoziemcow. *Universales de Anno 1613. & 1620. Constit. de Anno 1676. fol. 59.* Addendæ etiam hic distinctiones inter Indigenas perfectos & Imperfectos, quales honarii sunt; simpliciter & secundum quid subjectos, illos nimirum, qui in clientela & protectione sunt; Indigenas deinde immediatè & mediatè subditos. Hæc siquidem si probè & distinctè notentur, æqualitati Juris Indigenatus & perfectæ omnibus ejus prærogativis fruendi facultati nihil quicquam decedet, etsi fortè uni ordini præ alio speciale quid competat. Ita in Polonia Cives simpliciter tales & Kmethones ad Regni Consilia non admittuntur. In Imperio Principes Comites, Barones, Nobiles, Civitates & Pagi immediati Jus suffragiorum & sessionis non habent, unde meri tantùm subditi non etiam status dicuntur. *Instrum. Pac. Osnab. Art. 5. & 8. Resp. El. ad Ferd. III. apud Lund. in Act. publ. Tom. 1. l. 1. t. 36. verbis.* Es hat mit Churfürsten / Fürsten und Ständen eine gantz andere Bewandtniß als mit andern deß H. R. R. Gliedern und Unterthanen. In Anglia item pluribus prærogativis gaudent Lordi, qui constituunt Parlamentum supe-

superius, quam Equites & municipes, qui inferius exhibent, das Unter-haus & *Thee Communs* dicuntur; imò & in Gallia, quin ordinibus Clericorum & Nobilium plus competat, quam statui tertio, qui *le tiers Estat* dicitur, dubio caret; cum ipsum Belgium Fœderatum, in quo duo ordines van de Ridderschapp Edlen/ende Steden/ quorum illos in Seelandia Princeps Arausionensis repræsentat, & ideò *premier Noble* vocatur, prioribus potioritatem quandam concedat. Quis verò ideò dicere auderet, posteriores illos Indigenas non esse, aut jure Indigenatus perfectè & æqualiter non frui? Nimirum, non omnium Jurium participationem jus Indigenatus tribuit, sed illorum tantum, quæ ratione ipsius Civitatis competunt, qualia sunt Jura Sacrorum, cultus divini, politiæ communionis Rerum publicarum, Legum, Judiciorum, Commerciorum, Defensionis, Annonæ, Monetæ &c. In his enim omnes Indigenæ æquales sunt, etsi alio respectu Indigena aliquis, non in quantum talis est, sed ut Nobilis, v:gr. Clericus, Senator, Academiæ membrum, Principis minister, Privilegiatus &c. plura beneficia Juris obtineat; quod fieri posse, sicut expeditum, ita ex dictis supra, quoad strictissimam Indigenarum acceptionem clarius evadit.

Thes. XXIII. Sed, quia hactenus expositæ prærogativæ, & reliquæ omnes eò tendunt, ut Indigenæ suæ Civitati fortius adhæreant, ac oneribus, pro ejus salute suscipiendis alacriores se subjiciant: quis non videt finem Juris Indigenatus illa ipsa onera esse? Hæc enim nemo non subterfugeret, nisi majora commoda, quæ ex jure hoc ejusque immunitatibus, non pro nobis tantùm, sed & pro posteris sperare possumus, considerationem minorum incommodorum minuerent, &, fere dixerim extinguerent; *C. 18. X. de Regular. N. 136. c. 5. & L. 1. §. 1. de Carb. Edict.* Et olim quidem de Jure Civ: Municipes originarii & curiales omnibus muneribus civitatis subjiciebantur; Tutelam, Refectionem viarum, Administrationem Civitatis, Exactionem tributorum, Defensionem Rei-pub; Legationis, ea denique civilia onera, quæ enumerantur *in L. 1. 14. & fin: de Muner.* suscipere erant obligati. Nec alio migrare poterant, sed si migrassent, revocabantur, & redire nolentibus onera tamen nihilominus omnia æquè imponebantur, licet iisdem in loco domicilii jam subjecti essent *per L. 17. C. de Decur: & L. fin. C. de Municip.* Imò nec militiam, ad declinanda onera Curialibus affectare licebat; Unde si milites facti essent, retrahendi erant, & ad conditionem Curialem revocandi non obstante, quod præscriptionem fortè opponere possent *per L. 54. & 55. C. de Decur.* Decurionatum etiam muni-

municipes suscipere tenebantur, cujus adeò acerba & gravis conditio fuit, ut multi propterea curias & patriam desererent *L. 31. & 50 C. eod.* & ultimis temporibus, à Principibus Ethnicis, Christiani, pœnæ loco, teste Cassiodro, decurionatui subjicerentur. Hi enim Decuriones non tantum prædia Civitatis administrabant, balnea, mœnia, & ædificia publica restaurabant, Professores salariabant & alebant, quod vectigalibus locatis deerat, de suo resarciebant *L. 11. C. de oper. publ. L. 2. §. 1. & L. 5. de admin. rer. ad Civ. pert.* sed ludos etiam Circenses & cursus publicos omnesque Theatrales voluptates cum diminutione plerumque patrimonii exhibebant, equorum item coëmptione & stabulorum exstructione onerabantur *L. 20. C. de Decur. L. 1. C. de Spectac. L. 7. & 14. C. de Curs. publ.* Jura hodierna indigenas mitius quidem tractant, non omnibus tamen oneribus eximunt, imò, si vellent, eximere profectò non possent, cum nunquam beatitudo Civilis intra & extra Civitatem sine oneribus ejusmodi haberi queat; videnturque adeò Indigenæ, in relatione ad Rem-publ; illud esse, quod uxor respectu mariti est; uti enim, per maritum dignitatem, familiam, honorem incessus, sessionis & mundi prærogativam, forum etiam, immunitates, sustentationem & defensionem uxor consequitur *L. 22. §. 1. ad Municip.* & ideò in compensationen harum prærogativarum, ac ad compensanda matrimonii onera, marito dotem dat *L. 20. C. de Jure dot:* Sic eadem omnia, imò longè majora à Re-publ. consequuntur Indigenæ, & justissimè propterea Principem, qui, Rem-publ. repræsentans atque sustinens, insomnes plerasque, pro ejus conservatione & incolumitate, noctes trahit, oneribus suis sublevare laborant. *Peregr. de Jur. Fisc. l. 1. tit. 1. n. 8. & seq.* Onera hæc cum propriè huc non spectent, brevibus enumerare sufficiet. Sunt autem (1) Collectæ ordinariæ & tributa repentina *L. 1. §. 20. de quæst.* (2) Repressaliæ quibus pro Civitate subjiciuntur indigenæ *arg. L. 26. de Judic.* (3) Hospitatio militaris & Aulica *L. 3. §. 13. & seq. de muner:* Sic Regiomonti ædificia in Jurisdictione Castrensi auff der Burg-Freyheit ferè omnia onus hospitationis das Ablager/ cum Serenissimus præsens est præstare tenentur (4) Alimentatio totalis vel partialis, wenn die Services nur gereicht werden nehmlich Saltz / Holtz und Licht (5) Angariæ & Parangariæ die Frohnen und Fuhren mit Pferden/ Wagen oder Schiffen. Sic in Privilegiis quibusdam Incolarum hujus Ducatus, legimus, eis impositum, daß sie das Jahr 4. oder 5. ꝛc. Postfuhren thun sollen / einen gantzen / halben Werpenwagen / oder Schincken davon halten müssen/ daß sie das Hetz und Jägergarn zu führen schuldig seyn. (6)

Aper-

Apertura die Oeffnung; & si ea non ubique subjectionis, sed aliquando tantùm feudi aut confœderationis signum sit. *Hering. de Jure Burgor. n. 733.* (7) Sequela, die Folge non quævis, sed in militiam, die Heeres-Folge. Referuntur huc, in Gallia Clientelaris convocatio Nobilium, *l' arriere ban*, portio copiarum, quam in bellis Imperii præstant singuli status & Circuli das Contingent; contributio etiam, quam olim Principes conferebant, Imperatore ad Coronationem Romam tendente, den Römerzug. Sic in Polonia, omnes & singuli Indigenæ, à Rege vocati cum hostis adest, armati comparere tenentur vocaturque hæc expeditio, *non ut Thulden P. II. p. 107.* habet, Pospolity rißtunek sed Pospolite Rußenie. Indigenæ tamen Prussiæ, in bellis Regni, ultra Ossam & Drevventziam non procedunt; ut in Livonia, terminus Indigenarum pro bellis Regni Sueciæ se moventium fluvius Duna est. Huc referimus, quod omnes qui in Anglia tempore belli ab armigeris Regiis tanguntur, sub pœna suspendii, in classe Regia militare tenentur; hocque ibi vocatur das Volck pressen (8) Fortalitiorum & locorum publicorum extruendorum atque reparandorum onus (9) contributiones ad elocandas Principum filias, viduas dotalitio, & secundo genitas Appanagio instruendas, Fräylein- Leibgeding- und Abtheilungs-Steur (10) Concessio, ut, ex causis necessitatis, vel utilitatis publicæ, bona in Rei-publ. usum convertantur; v. c. quo in bello & obsidione domus, horti dejiciantur & corrumpantur, segetes accendâtur &c. tempore caritatis vel famis frumentum inter cives aut milites distribuatur. (11) Exclusio, ut, in salutem Rei-publ. aliter non obtinendam, innocens Civis hosti dedi aut necari possit Ex quo fundamento fuerunt, qui putarunt, in conclusa Anno 1664. inter Imperatorem & Portam pace, secretum articulum fuisse de occidendo Comite Nicolao Serinio; id referentibus *Legato Veneto Domino de Sagredo in Relatione suæ Legationis ad Ducem & Rempubl. p. 62. & seq. Et authore historiæ Vezirorum p. 198.* Sed, cum mors istius Herois apro vulgo tribuatur, confictum hoc ab inimicis Aulæ Cæsareæ putamus. (12) Portio à migrantibus, detractionis jure, nach dem Abzugsrecht in Re-publ. relinquenda, quæ in Hispania Alcavala, in Brabantia Jus Issuæ, seu exitus vocatur, & pro diversitate locorum varia est. (13) Necessitas redeundi, si à Principe revocentur, ut tempore belli fieri solet, huc ideò spectantibus Avocatoriis, quæ tali casu publicari solent. (14) Ne merces prohibitas & ad exercendam hostilitatem comparatas quæ *Contrabandæ* dicuntur, host

vendanti

vendant. (15) Ut legationes, & alia officia publica, necessitate poscente, propriis sumtibus expediant. &c.

Thes. XXIV. In Jure Canonico etiam Indigenæ Spirituales, Parœciani nimirum, tenentur sustentare egenos suæ Parœciæ, Ministris, tam actu servientibus, quam emeritis, de condigna alimentatione prospicere, ad culturam agrorum Parochialium operas præstare, ad fabricam & reparationem Ecclesiæ, si alii sumtus non adsint, contribuere, operas etiam suas Ecclesiæ potius quàm vicinis locare. *Citadin. de J. patron: art. 5. n. 4. seqq. Carpz. Jurispr. Consist. l. 2. tit. 21. def. 355. & 358.* & in Jure Feudali, Convasalli ad fidem præstandam Domino obligantur, Servitia exhibere debent, etiam indeterminata, si in literis investituræ aliud non sit expressum; in sua persona Domino servire tenentur, vel acceptabilem vicarium mittere; in dubio, si ambigant, an bellum offensivum Senioris sit justum, præcipienti Domino obedire, & contra Imperatorem etiam, si Dominum temerè oppugnet, assistere; in Territorio deinde, sumptibus propriis servitia exhibere; imò, necessitate exigente, Adoham seu pecuniam pro servitiis Domino præstare, illum denique ex feudo in casu inopiæ alere. *2 feud. tit. 7. 8. 55. & tit. 107. Matth. de Afflict. dec. 252. n. 3. Tiraqu. de Jur. primogen. qu. 74. n. 2.* Optimè omnium res se habet cum Indigenis Academicis; *hi enim nullis oneribus subjacent, sed hoc unicum curare debent, ut seriò studiis incumbentes, nec studiosorum conditionem deserentes spem de se pulcherrimam prodant fore ut olim scientiâ ipsorum totus mundus illuminetur & ad obediendum Deo ejusq; ministris vita Subjectorum informetur Auth. habita C. ne fil. pro patr. Peckius de Jur. sist c. 5.* Et hæc, quoad finem hujus Juris, in succincta dissertatione sufficere poterunt, si hoc unicum addatur, immunitatem, ab oneribus enumeratis aliisq; omnibus, Indigenas quandoque consequi, per speciale privilegium, ad tempus, vel in perpetuum, à solo tamen Principe concessum; æquè, ut olim vacationem ab oneribus Curiæ & Decurionatus impetrare licuit *L. 4. & ult. C. de Decur.* Hæc enim omnia distinctè examinare, cum angustia chartarum prohibeat, ad modos, quibus Jus Indigenatus extinguitur, ejusdemque contraria & Affinia pergimus Amittitur ergò hæc prærogativa (1) morte, cum Indigenæ hodiè non fiant, sed specialiter prius in Cives recipi debeant. (2) Banno wenn jemand in die Acht erkláhret oder Vogelfrey gemachet wird / ut olim deportatione & primitus

E inter-

interdictione aquâ & igni; nam captivitas quâ olim, ceu servitute, civitas itidem tollebatur, effectu servitutis jure moderno sublato, juri Indigenatûs non præjudicat, (3) infamiâ wenn einer zum Schelm gemacht wird (4) Carcere perpetuo. His verò tribus modis amissum Indigenatus Jus restitutione & aggratiatione Principis recuperatur, quæ ideò resuscitatio civilis vocatur. (5) Monachismo; nam Clerici eximuntur civili conditioni (6) Militiâ; milites siquidem peculiarem Magistratum, Ordinem & quasi Civitatem constituunt; (7) Conditione Aulica, per ministerium à Principe delatum (8) qualitate Academica; Sed hi posteriores 4. modi tollunt tantum jus indigenatus odiosum, non etiam favorablie. (9) Migratione; hoc enim etsi olim non licuit, hodiè tamen, observato jure detractionis, omnino permittitur (10) Perduellione & crimine læsæ Majestatis, quibus ut bona confiscantur, ita liberi omni dignitate & prærogativâ Parentum excidunt. (11) Ad hostes transfugiendo (12) extinctâ Civitate; quod maximè licuit olim observare cum victi sub jugum sœpe mitterentur, & Civitates aratrum paterentur. Canonicum Jus Indigenatus amittitur (1) Excommunicatione (2) Si quis sibi manus violentas inferat. *Cap. 5. de rapt. c f. de Sepult.* Feudale verò perdimus (1) Feloniâ (2) Morte (3) Refutatione Feudi. Academicum deniqne (1) relegatione (2) Renuntiatione (3) Professionis contrariæ assumtione. Contrariantur juri indigenatus (1) Conditiones hostium (2) peregrinorum (3) Judæorum aliorumque infidelium (4) Zigeunorum (5) Spuriorum, incestuosorum, it: adulterinorum liberorum, quos in Indigenas recipere non licet (6) Mimorum, & aliorum, qui infame vitæ genus sectantur; quibus etiam olim annumerabantur, consuetudine vulgi, filii molitorum, opilionum balneatorum, tibicinum &c. ante latum desuper R.I. de Anno 1548. & Anno 1577. Affines verò reperiuntur, qualitates (1) Inquilinorum (2) Incolarum, (3) hospitum, qui tempore pestis, aut aliarum necessitatum in civitatem se recipiunt (4) Legatorum (5) eorum, qui officii ratione in Re-publ. subsistunt, (6) denique quorumvis privilegiatorum. Sed, hæc recensuisse satis ducimus, maximè cum antecedentia aliquam illis lucem suppeditent, & pleniorem dilucidationem conflictui Cathedrali reservamus. Tantum!

S. D. G.

SI quondam *indigena* & præclara ſcientia juris,
Laudi eſt, Te, TREUGI gloria lausq; manet.
Nempe ſub incudem revocans *Jus Indigenatûs*,
Indigenam juris Te ſatis eſſe probas.
Applaudo his cæptis, ſi ſic benè pergere tentes,
Crede, tuis ſtudiis digna, brabea feres.

Quod Nobiliſſ. atq; clarè docto Dn. Reſpondenti Auditori ſuo perquam induſtrio precatur

ACHATIUS CHRISTIANUS RANGER,
J.U.D.P.P. & Conſiſtorii Samb. Asſeſſ.

UNdiq; venales produnt hæc tempora merces,
Mercatorq; ſuas vendere certat opes.
Ingenii quoq; *mercatum* Tu pandis Amice,
Qui Parnasſiacis dives ubiq; donis.
Is varii docet *Indigenas* tutamina Juris,
Adduntur Gentis pulchra ſtatuta Tuæ.
Hinc Divæ cluis Aſtrææ dignisſima proles,
Indigenamq; ſuum Te vocat alma Themis.
Tu gratus pendis Themidi Regnoq; tributum ;
Hoc decet *Indigenam* ferre libenter onus.
Indigenæ Tibi mox fauſto Tua Patria plaudens
Præmia pro meritis Regis ab Arce dabit.
Felix *mercatus*! Felicior *Indigenatus*!
Expetit *Indigenas* Patria noſtra pares.

Nobiliſſimo & Politiſſimo Dn. Treugen, Auditori feliciter induſtrio & Amico dilecto de Jure Indigenatus, ſub tempus Nundinarum diſputanti, gratulab. poſ.

PRÆSES

PAlladias quoniam coluiſti ſedulus artes
Hinc cluis Aonii portio digna chori.
Nunc Dea juncta Deæ bene ſede morantur in una
Concordi nexu Pallas & ipſa Themis.

Gloria magna manet virtutem, crede, juvabit
Olim Legiferam sic coluisse Deam

Hæc, Præstantissimo Domino Treugen velut in tesseram benevoli animi cum omnigenæ felicitatis voto apponere voluit

JOHANNES WILHELMUS à TETTAU,
Eques Prussus.

TREUGI, refulgens Aonidum Decus,
Quem, castra Divæ Pallados insequi,
Oblectat, & legum sacrata
Scita revolvere mente pronâ!
En! Magna laudum Gloria Te manet,
Virtute pectus dum solidas Tuum,
Scrutandô solerter statuta,
Quæ pius edocet Imperator.
Sic Alciatus, Bartolus & sagax,
Baldusque Magnus Laudis adóream
Nacti fuerunt, quæ perennat,
Et celebratur ore cunctô.
Nam ceu corusci fulminis impetus
Velox Cupressum proterit arduam:
Sic difficultatem molestam
Assiduus labor usque vincit.
Cœleste Numen cœpta benigniùs
Posthinc secundet, Patria Te quoque
Ornare contendat quod ipsum
Nos cupimus simul & vovemus.

Sic Nobilissimo & Doctiss. Dno. Treugio Disputationis hujus Auctori dignissimo, Nomine Mariæburgensium. p. t. musas Albertinas colentium, gratulatur

Jacob Bliverniz, L. L. Stud.

